

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

### **Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum**

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.  
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus  
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot  
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin  
Leyser, Polycarp  
Gerhard, Johann**

**Hamburgi, MDCCIII**

**VD18 90617681**

Caput CXIII. Continens Profectionem Jesu Versus Jerusalem Et In Transitu  
Sanationem Coeci Nati. Luc. 13. Versic. 22. Et Johan. 9. Versic. 1.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18203**

## CAPUT CXIII.

## CONTINENS PROFECTIONEM JESU VERSUS JERUSALEM ET IN TRANSITU SANATIONEM COECI NATI.

LUC. 13. VERSIC. 22. ET JOHAN. 9. VERSIC. 1.

## RATIO ORDINIS.

**S**upra cap. 103. & 104. Harmonia audivimus, quomodo Dominus noster Jesus Christus Hierosolymis post festum Scenopogias se absconderit ob violentiam Judæorum, qui lapidibus ipsum obruere volebant. Postea autem, cum septuaginta discipuli emissi rediissent, inde discesserit, & in Judæa visitationem Ecclesiarum, ad quas aliquot suorum discipulorum pariter prius emisserat, instituerit. Hac visitatione intra bimestre spacium peracta, cum jam appropinquaret festum Encæniorum, reditum Hierosolymas parat. De qua profectioe solus Lucas hic v. 22. mentionem injicit. Neq; profectioem hanc, cuius Lucas hic meminit, ad aliud tempus adaptare possumus. Siquidem quæcunq; postea referentur, videbimus ea in Galilæa accidisse, quo Christus post exactum Encæniorum festum secessit, & residuam partem institutæ suæ visitationis absolvit.

Interim autem in ipsius absentia Pharisei primam suam constitutionem fecerunt & promulgant, Johan. 9. v. 22. de Excommunicatione, si

quis Jesum Christum profiteretur. Jesus ergo, ne videretur confessionem sui fugere, Hierosolymam rediit. Non tamē recta urbem ingressus est, sed ad portas ejusdem delatus, ipsam quasi circumvici (sic enim hic τὸ πρὸς τὰς πόλεις prateriens seu pratergrediens, sicuti etiam Matth. 20. v. 30. usurpatur, accipio) & in transitu, ipso quodam die sabbati, illustre miraculum edidit in homine, qui à natiuitate cæcuserat. Quo miraculo ipse quidem populum ad inquisitionem sui excitavit: inter Phariseos vero schisma de Christo secutum est, quorum contumaces simplici & constanti cæci confessione pudefecit. Sic ostendens, non timenda esse vana fulmina falsæ Ecclesiæ ob Evangelii confessionem. Et pulchrum est exemplum, quod, cum cæcus ab Ecclesia malignantium excommunicatus esset propter confessionem Christi, Jesus hoc audiens ipsum quarit, & ad pleniorum Messia cognitionem adducit, ad quam nunquam progressus fuisset, si inter Phariseos mansisset. Hunc verum Evangelicæ historiæ ordinem esse non ambigo.

HISTORIA SANATI COECI NATI  
HIEROSOLYMIS.

LUC. 13. ET JOHAN. 9.

22. Καὶ διεπορεύετο κατὰ πόλεις καὶ κώμας διδάσκων, καὶ πορεύων ποιέμενος εἰς Ἱερουσαλήμ.
1. Καὶ πρὸς τὰς πόλεις, εἶδεν ἄνθρωπον τυφλὸν ἐκ γενετῆς.
2. Καὶ ἠρώτησαν αὐτὸν ἡ μαθηταὶ αὐτοῦ, λέγοντες, ῥαββί, τίς ἡμαρτεν, ἢ τί οἱ γονεῖς αὐτοῦ, ἵνα τυφλὸς γεννηθῆς;
3. Ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς, ἔτε ἔτι ἡμαρτεν, ἔτε οἱ γονεῖς αὐτοῦ, ἀλλ' ἵνα φανερωθῇ τὰ ἔργα ἃ θεὸς ἐν αὐτῷ.
4. Ἐμε δεῖ ἐργάζεσθαι τὰ ἔργα ἃ πέμψαντί με, ἕως ἡμέρας ἐστίν. ἐρχεται νύξ, ὅτε οὐδεὶς δύναται ἐργάζεσθαι.
5. Ὅταν ἐν τῷ κόσμῳ ᾶ, φῶς εἰμὶ ἃ κόσμος.
6. Ταῦτα εἰπὼν ἐπίσπευσε χαμᾶι, καὶ ἐπίσπευσε πηλὸν ἐκ ἃ πύσματος, καὶ ἐπέχρισε τὸν πηλὸν ἐπὶ τὰς ὀφθαλμοὺς ἃ τυφλοῦ.
7. Καὶ ἔειπεν αὐτῷ, ὕπαγε, νύψαι εἰς πηλὸν κολυμβήθραν ἃ σιλωάμ, ὃ ἐρμηνεύεται ἀπεσταλμένον, ἀπὸ Ἰερουσαλὴμ καὶ ἐν ἵνατο, καὶ ἦλθε βλέπων.
8. Οἱ δὲ ἐγγύστοι καὶ οἱ Ἰεραρῆντες αὐτὸν τὸ πρότερον, ὅτι τυφλὸς ἦν, ἔλεγον ἔχ' ἔτος ἐστίν ὃ καθήμενος καὶ πρὸς τὰς πόλεις.
9. Ἄλλοι ἔλεγον, ὅτι οὗτός ἐστιν. ἄλλοι δὲ ὅτι ὅμοιος αὐτοῦ ἐστίν.
- Harm. Tom. I.

22. Et ibat per civitates & castella docens, & iter faciens Hierosolymam.
1. Et prateriens Jesus vidit hominem cæcum à natiuitate.
2. Et interrogaverunt eum discipuli ejus, dicentes, Rabbi, quis peccavit, hic an parentes ejus, ut cæcus nasceretur?
3. Respondit Jesus, neq; hic peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo.
4. Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est, venit nox, quando nemo potest operari.
5. Quamdiu fuero in mundo, lux sum mundi.
6. Hoc cum dixisset, exsruit in terram, & facit lutum ex spato, & illevit lutum super oculos cæci.
7. Et dixit ei; vade, lava in piscina Siloam, quod si interpreteris, sonat missus. Abiit ergo & lavit, & venit videns.
8. Itaque vicini & qui viderant eum prius, quod cæcus esset, dicebant: Nonne hic est, qui sedebat & mendicabat?
9. Alii dicebant, hic est: Alii rursus, similis est ei.
- Kkkkk 2 10. Ἐκεῖνον.

10. Ἐκείνῳ ἔλεγον, ὅτι ἐγώ εἰμι, ἔλεγον ἔν αὐτῷ, πῶς ἀνεώχθησάν σε οἱ ὀφθαλμοί;
11. Ἀπεκρίθη ἐκεῖνῳ, καὶ εἶπεν, ἄνθρωπῶν λεγόμενον Ἰησοῦς, πηλὸν ἐπίησε, καὶ ἐπέχρισέ με τὰς ὀφθαλμούς, καὶ εἶπέ μοι, ὑπάγε εἰς τὴν κολυμβήθραν ἕξι σιλωάμ, καὶ νύψαι. ἀπελθὼν ἦ καὶ νύψαμην, ἀνέβλεψα.
12. Εἶπον ἔν αὐτῷ, πῶς ἐστὶν ἐκεῖνῳ; λέγει, ἔκ οἶδα.
13. Ἄγασιν αὐτὸν παρὰ τὰς Φαρισαίους, τὸν πότε τυφλόν.
14. Ἦν ἡ ἀπόκρισις αὐτῶν, ὅτε τὸν πηλὸν ἐποίησεν ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἀνέωχεν αὐτῶ τὰς ὀφθαλμούς.
15. Πάλιν ἔν ἡρώτων αὐτὸν καὶ οἱ Φαρισαῖοι, πῶς ἀνέβλεπεν. ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς, τὴν ἐπέχρισέ με πηλὸν τὰς ὀφθαλμούς, καὶ ἐνὶ σιλωάμ, καὶ βλέπω.
16. Ἐλεγον ἔν ἐκ τῶν Φαρισαίων πινές. οὗτος ὁ ἄνθρωπος ἢ ἐστὶ παρὰ τοῦ Θεοῦ, ἢ ἀπόκρισις αὐτῶν ἐστὶν. Ἄλλοι δὲ ἔλεγον, πῶς δύναται ἄνθρωπος ἀμαρτωλὸς τοιαῦτα σημεῖα ποιεῖν, καὶ κρίσιμα ἢ ἔν αὐτοῖς.
17. Λέγουσι τῷ τυφλῷ πάλιν, σὺ τί λέγεις περὶ αὐτοῦ, ὅτι ἠνοιξέ σε τοὺς ὀφθαλμούς; ὁ δὲ εἶπεν, ὅτι παρὰ τοῦ Θεοῦ ἐστίν.
18. Οὐκ ἐπίστευον ἔν οἱ Ἰουδαῖοι περὶ αὐτοῦ, ὅτι τυφλὸς ἦν, καὶ ἀνέβλεψεν, ἕως ὅτε ἐφώνησαν τοὺς γονεῖς αὐτοῦ ἀναβλέψαυτε.
19. Καὶ ἠρώτησαν αὐτὸν, λέγοντες, ἕως ἐστὶν ὁ υἱὸς ὑμῶν, οὐ μῶς λέγετε, ὅτι τυφλὸς ἐγεννήθη πῶς ἔν ἄρτι βλέπει;
20. Ἀπεκρίθησαν αὐτοῖς οἱ γονεῖς αὐτοῦ, καὶ εἶπον, οἶδαμεν, ὅτι ἕως ἐστὶν ὁ υἱὸς ἡμῶν, καὶ ὅτι τυφλὸς ἐγεννήθη.
21. Πῶς ἦν βλέπει, ἔκ οἶδαμεν, ἢ τίς ἠνοιξεν αὐτῶ τὰς ὀφθαλμούς, ἡμεῖς ἔκ οἶδαμεν. αὐτὸς ἡλικίαν ἔχει, αὐτὸν ἐρωτήσατε. αὐτὸς περὶ αὐτοῦ λαλήσει.
22. Ταῦτα εἶπον οἱ γονεῖς αὐτοῦ, ὅτι ἐφοβήθησαν τὰς Ἰουδαίους. ἡ δὲ γὰρ συνέθετο οἱ Ἰουδαῖοι, ἵνα εἰν τις αὐτὸν ὁμολογήσῃ χριστὸν, ἕως οὐκ ἀποσυναγώγῃ τὸν ἕνα.
23. Διὰ τῆτο οἱ γονεῖς αὐτοῦ εἶπον, ὅτι ἡλικίαν ἔχει, αὐτὸν ἐρωτήσατε.
24. Ἐφώνησαν ἔν ἐκ δευτέρων τὸν ἄνθρωπον, ὃς ἦν τυφλός, καὶ εἶπον αὐτῷ, διὸς δόξαν τῷ Θεῷ, ὑμεῖς οἶδαμεν, ὅτι ὁ ἄνθρωπος ἕως οὐκ ἀμαρτωλὸς ἐστίν.
25. Ἀπεκρίθη ἔν ἐκείνους καὶ εἶπεν, εἰ ἀμαρτωλὸς ἐστίν, ἔκ οἶδα, ἔν οἶδα, ὅτι τυφλὸς ἦν ἄρτι βλέπω.
26. Εἶπον ἔν αὐτῷ πάλιν, τί ἐποίησέ σοι, πῶς ἠνοιξέ σε τὰς ὀφθαλμούς; ἀπεκρίθη αὐτοῖς.
27. Εἶπον ὑμῖν ἡδὴ, καὶ ἔκ ἠκούσατε, τί πάλιν θέλετε ἀκούειν; μὴ καὶ ὑμεῖς θέλετε αὐτῶ μαθητὰ γενέσθαι;
28. Ἐλεθέρησαν ἔν αὐτὸν, καὶ εἶπον, σὺ εἰ μαθητὴς ἐκείνους, ἡμεῖς ἦ τοῦ μωσέως ἐσμεν μαθητὰί. ἡμεῖς οἶδαμεν, ὅτι μωσὴς ἐλάλησεν ὁ Θεός.
29. Τῆτον ἦ ἔκ οἶδαμεν, πῶς ἐστίν.
30. Ἀπεκρίθη ὁ ἄνθρωπος, καὶ εἶπεν αὐτοῖς, ἔν γὰρ τῆτον θαυμάσων ἐστίν, ὅτι ὑμεῖς ἔκ οἶδατε, πῶς ἐστὶν καὶ ἀνεώχθη με τοὺς ὀφθαλμούς.
31. Οἶδαμεν ἦ, ὅτι ἀμαρτωλῶν ὁ Θεὸς ἔκ ἀκούει, ἀλλ' εἰν τις Θεοσεβὴς ἦ, καὶ ἦο θελημα αὐτοῦ ποιῆ, τότε ἀκούει.
32. Ἐκ τῶ αἰῶν ἔκ ἠκούσθη, ὅτι ἠνοιξέ τις ὀφθαλμὸς τυφλοῦ γεγεννημένου.
33. Ἐἰ μὴ ἦν ἕως οὐκ Θεοῦ, ἔκ ἠδύνατο ποιῆν ἄδεν.
10. Ille dicebat: Ego sum, dicebant ergo illi, quomodo aperti sunt tibi oculi?
11. Respondit ille & dixit: homo ille, qui dicitur Jhesus, lutum fecit, & inunxit oculos meos, & dixit mihi, vade ad piscinam Siloam & lava. Ut autem abii ac lavi, visum recepi.
12. Dixerunt ergo ei, ubi est ille? ait, non novi.
13. Adducunt ad Pharisaeos eum, qui dudum caecus fuerat.
14. Erat autem Sabbatum, cum lutum faceret Jhesus, & aperiret oculos ejus.
15. Iterum ergo interrogabant eum & Pharisei, quomodo visum recepisset. Illi autem dixit eis: Lutum mihi inposuit super oculos, & lavi, & video.
16. Dicebant ergo ex Pharisaeis quidam. Non est hic homo à Deo, quia Sabbatum non observat: alii autem dicebant, quomodo potest homo peccator haec signa edere? Et dissensio erat inter eos.
17. Dicunt caeco iterum. Tu quid dicis de illo, quia aperuit tibi oculos tuos? ille autem dixit: Prophetæ est.
18. Non crediderunt ergo Judæi de illo, quod caecus fuisset, & visum recepisset, donec vocaverunt parentes ejus, qui visum receperat.
19. Et interrogaverunt eos dicentes: Hic est filius vester, quem vos dicitis caecum natum esse, quomodo ergo nunc videt?
20. Responderunt eis parentes ejus & dixerunt: Novimus quod hic est filius noster, & quod caecus natus est:
21. Quomodo autem nunc videat, nescimus, aut quis ejus aperuerit oculos nos nescimus. Ipse etatem habet, ipsum interrogat, ipse de se loquatur.
22. Haec dixerunt parentes ejus, quod timerent Judæos. Jam enim conspiraverant Judæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum, è Synagoga ejiceretur.
23. Propterea parentes ejus dixerunt: etatem habet, ipsum interrogare.
24. Vocaverunt ergo rursum hominem qui fuerat caecus, & dixerunt ei: Da gloriam Deo, nos scimus quod hic homo peccator est.
25. Respondit ergo ille & dixit: An peccator sit, nescio, unum scio, quod caecus cum fuero, nunc videam.
26. Dixerunt ergo illi iterum, quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos? Respondit eis:
27. Dixi vobis jam, nec audistis, cur iterum vultis audire? Num & vos vultis discipuli ejus fieri?
28. Convitiati sunt ergo ei, & dixerunt: Tu discipulus illius esto, nos autem Moysi discipuli sumus. Nos scimus quod Moysi locutus est Deus.
29. Hunc autem nescimus, unde sit.
30. Respondit ille homo, & dixit eis: in hoc enim mirabile quiddam est, quod vos nesciatis, unde sit, & tamen aperuit meos oculos.
31. Scimus autem quod Deus peccatores non audit: sed si quis Dei cultor est & voluntati ipsius obtemperat, hunc audit.
32. A feculo non est auditum, quod quis aperuit oculos caeci nati.
33. Nisi esset hic à Deo, non potuisset facere quicquam.

34. Απεκρίθησαν, λέγοντες αὐτῷ, ἐν ἁμαρτίας σου ἐγενήθης ὁλθῶ, καὶ σὺ διδάσκεις ἑμᾶς; ἐξέβαλον αὐτὸν ἐξ αὐτοῦ, ὅτι ἐξέβαλον αὐτὸν ἐξ αὐτοῦ, καὶ ἐβρον αὐτὸν εἶπεν αὐτῷ, σὺ πιστεύεις εἰς τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ.  
 35. Απεκρίθη ἐκείνῳ, καὶ εἶπε, καὶ τίς ὄστις, κύριε, ἵνα πιστεύσω εἰς αὐτόν; πῶς δύναμαι πιστεῦσαι ἄνθρωπον, ὃν οὐκ ἔβλεπον, ὅτι ἐξέβαλον αὐτόν ἐξ αὐτοῦ, καὶ ἐβρον αὐτὸν εἶπεν αὐτῷ, σὺ πιστεύεις εἰς τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ.  
 36. Απεκρίθη ἐκείνῳ, καὶ εἶπε, καὶ τίς ὄστις, κύριε, ἵνα πιστεύσω εἰς αὐτόν; πῶς δύναμαι πιστεῦσαι ἄνθρωπον, ὃν οὐκ ἔβλεπον, ὅτι ἐξέβαλον αὐτόν ἐξ αὐτοῦ, καὶ ἐβρον αὐτὸν εἶπεν αὐτῷ, σὺ πιστεύεις εἰς τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ.  
 37. Οὗτος εἶπε, καὶ εἶπε, καὶ τίς ὄστις, κύριε, ἵνα πιστεύσω εἰς αὐτόν; πῶς δύναμαι πιστεῦσαι ἄνθρωπον, ὃν οὐκ ἔβλεπον, ὅτι ἐξέβαλον αὐτόν ἐξ αὐτοῦ, καὶ ἐβρον αὐτὸν εἶπεν αὐτῷ, σὺ πιστεύεις εἰς τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ.  
 38. Οὗτος εἶπε, καὶ εἶπε, καὶ τίς ὄστις, κύριε, ἵνα πιστεύσω εἰς αὐτόν; πῶς δύναμαι πιστεῦσαι ἄνθρωπον, ὃν οὐκ ἔβλεπον, ὅτι ἐξέβαλον αὐτόν ἐξ αὐτοῦ, καὶ ἐβρον αὐτὸν εἶπεν αὐτῷ, σὺ πιστεύεις εἰς τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ.

34. Responderunt & dixerunt ei: In peccatis tu natus es totus, & tu doces nos? & ejecerunt eum foras.  
 35. Audivit Jesus, quod eiecissent eum foras, cumque in-venisset eum dixit ei: Tu credis in filium Dei?  
 36. Respondit ille & dixit: Et quis est, DOMINE, credam in eum?  
 37. Et dixit ei Jesus: Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est.  
 38. At ille ait: credo, DOMINE, & adoravi eum.

Periocha hujus Historiae.

IN hac professione Christi Hierosolymam verus hoc notandum venit, quod non tantum iter fecit, sed etiam inter eundem ad civitates & castra divertit, ibique docuit. Cum enim a caelesti suo patre hoc praedicandi & docendi munus demanatum acceperit, in eo sedulus ac assiduus esse voluit, licet hanc ipsam ob causam Hierosolymis Pontificibus & Phariseis se exosum, adeoque decretum excommunicationis contra se promulgatum esse novisset. Sic nimirum suo exemplo nos docet, quemque in sua vocatione urgenda fidelem & constantem esse, nec ullum laborem vel periculum subterfugere debere, dummodo Deo fidem & constantiam suam probet. Hoc permovit in Veteri Testamento Prophetas, & in Novo Apostolos, ut alii quidem triginta, alii quadraginta & plures annos praedicandi munere fungerentur, donec vel corporali morte abirentur, vel martyrii corona decorarentur. Neque labor ipsorum in Domino inanis fuit. Idem praestiterunt pii & Deum timentes politici, quales fuerunt Moses, Josua, David, Ezechias & alii, qui ad extremum vitae halitum usque Rempublicam gnaviter administrarunt, Deo grata & hominibus salutaria perfererunt. Simul etiam eodem suo exemplo commendat Christus Ecclesiastici ministerii dignitatem, cujus hodie passim quamplurimi sunt contemptores. Olim dum Ecclesiasticae personae amplis gaudebant praebendis, quisque vel filium, vel fratrem, vel cognatum, ex familia sua habere exoptavit, qui clericali dignitate conspicuus esset, licet tum temporis in regno Pontificio non vero Deo, caeli & terrae Domino, sed Deo Masim inservierint. Nunc postquam in clara luce Evangelii soli vero Deo, & filio ejus Jesu Christo inservimus, plerique hoc vitae genus praeter reliquis omnibus fastidiunt, sibi que fere ignominiosum esse ducunt, si cognatum vel affinem verbi ministrum & praeconeum habeant. Digna revera est haec ingratitude, quam Deus gravibus poenis ulciscatur. Quis enim illud leviter aestimabit, in quo ipse Dei filius ad mortem usque vel maxime fuit occupatus?

Nunc ad expositionem hujus historiae, qua Dominus quendam ex nativitate caecum curavit, atque oculorum usu instruxit, accedemus. Quae, quia cum primis est memorabilis, multa observatione dignissima continet. Nos praecipua membra perstringemus.

I. Primum membrum est occasio hujus miraculi, quam duplicem fuisse Evangelista narrat.

Unam ex parte Christi, qui vidit illum hominem caecum. Alteram ex parte Apostolorum, qui interrogarunt, an ipse, an parentes ejus peccarint, ut caecus nasceretur? Ex qua interrogatione colligere licet, Christi intuitum non fuisse vulgarem, quo quis transeundo obiter aliquid videt, sed studiosius, & defixis in caecum oculis diligentius Christum ipsum inspexisse. Christi aspectus & intuitus (ut & in praecedenti capite diximus) ubique est faustus & salutaris. Subinde itaque devota mente hanc precatiunculam ingeminemus: Domine Jesu Christe, respicere digneris super me miserum peccatorem oculis misericordiae tuae, quibus respexisti Petrum in atrio, Mariam Magdalenam in convivio, & latronem in crucis patibulo &c. Si enim misericors hic Dominus caecos, & de ipsius bonitate nihil cogitantes, adeo benigne respexit, quanto promptius id facturus est, si nos humili corde opem ejus imploremus.

Interrogatio autem Apostolorum plus quippiam in recessu habere videtur, quam plerique primo intuitu assequantur. Putant aliqui eam hinc ortam, quod Dominus Joh. 5. v. 14. ad piscinam Hierosolymitanam sanato paralytico dixisset: Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius quid tibi contingat. Cum ergo non tantum Judaei, sed etiam plerique alii homines adversa peccatis, secunda autem pietatis meritis tribure soleant, existimant Apostolos communi errore deceptos, miratos fuisse, cujus peccato hic a nativitate caecitatem contraxisset. Sed potius hinc colligere licet, quam depravata tum temporis fuerit doctrina de peccato originali. Pharisei infra v. 34. huic caeco dicent: tu totus in peccatis natus es, & nos doces. Ergo de reliquis qui sine externo aliquo ejusmodi defectu nascebantur, judicarunt, eos non totus in peccatis, atque sic sine originali malo, nasci. Hunc errorem Apostoli, sicut etiam reliqui Judaei ab ipsis haulerunt. Unde etiam manifestum evadit, quantum interfit, ut doctrina de peccato originali, qualiter illa ex sacris literis hausta est, pura in Ecclesia Christi conservetur. Accessit autem apud Phariseos, illosque qui ipsorum doctrina infecti erant, etiam alter error, quod statuerunt, (ut & in superioribus semel atque iterum audivimus) μεταμύχωση, hoc est, transmigrationem animae ex uno corpore in aliud. Inde porro colligebant, si quae anima in priore corpore deliquisset, tum in posteriore corpore in ejus poenam vel caecitate vel surditate, vel alio aliquo graviore flagello affligi.

Kkkkk 3 Ex

Harm. Tom. 4



Ex his omnibus manifestum evadit, quale sit iudicium rationis humanae de cruce à Deo immissa. Cum enim Deus in Lege Levit. 26. versic. 16. & Deuteronom. 28. v. 16. magna severitate minatus se gravissime populi sui peccata variis morbis visitaturum. Ideo ratio humana aliter concludere nequit, quam omnes adversitates, quæcunque etiam piis immittuntur, esse meras scelerum pœnas, & ab irato Deo immitti in signum subsecuturæ damnationis. Hanc opinionem Diabolus in cordibus hominum suis suggestionibus sedulo fovet, ut sic homines ad barathrum desperationis adducere possit. In hoc errore hæserunt etiam Jobi amici: qui acerbissima contra ipsum instituta disputatione gravissimè eum contumeliis & calumniis lacerarunt, eo quod tot & tanta adversa à Deo immissa pateretur. Et quidem non raro Deus peccata hominum variis ærumnis & incommodis plectere solet. Sicut Deus ipse dicit Jer. 30. v. 11. Castigabo te in iudicio, ut non videaris tibi innocuus. Quando ergo Deus iniquitates nostras ponit in conspectu suo, & absconditum nostrum in lucem vultus sui Psal. 90. v. 8. tum impletur illud Davidis Psal. 39. v. 12. Cum corripueris hominem propter peccata tum consumitur tanquam à tineâ pulchritudo ejus.

Sunt tamen etiam aliæ causæ, propter quas Deus adversa immittere solet. 1. Aliquando adversitatibus præservat animum hominis contra crassiora peccata. Humana siquidem caro infirmior est, quam ut splendidam fortunam æqua mente suscipere possit. Homo extra crucem se liberum natum putat tanquam pullum onagri. Job. 11. v. 12. vult esse tanquam vitulus indomitus Jer. 31. v. 18. Crux ergo immittitur, ut eum à peccato retrahat, vetus ipsius Adamus crucifigatur, & corpus peccati destruat, quo ultra non serviat peccato. Roman. 6. v. 6. Unde adversitates Psalm. 116. vers. 13. Matth. 20. v. 23. salutari calici, & Mal. 3. v. 2. saponi, quo fullones ad eluendas sordes & maculas vestium utuntur, conferuntur. Nam qui carne patitur, desinit à peccatis. 1. Pet. 4. v. 1. 2. Aliquando Deus, quos præ aliis in Ecclesia vel Republica evehere vult, prius per crucem & varias afflictiones humiliare solet, ut varie tentati & probati idonea & salutaria organa reddantur, quæ alios rite instituere & dextre gubernare possint. Exempla si quis desiderat, is intueatur Jacobum Patriarcham, Josephum, Moysen, Davidem in decennali suo exilio, Daniele & socios in captivitate. Deus enim humiliat & sublevat, mortificat, & vivificat, deducit ad inferos & reducit. 1. Sam. 2. v. 6. 3. Aliquando etiam Deus huiusmodi tentationibus & ærumnis hominem probat, & animi ipsius statum, qui dum homo pace fruitur quasi delitescit, tentatione explorat, utrum etiam in cruce constanter Deo adherere velit. Hoc certe modo sancti Jobi fidem, spem, charitatem, innocentiam, admirabilem patientiam, & invictam animi magnitudinem omnibus testatam fecit. Ut enim aurum & argentum igne probantur, sic homines receptibiles in camino humiliationis Syrac. 2. v. 5. Hinc D. Petrus. 1. Epist. c. 4. v. 12. omnes Christianos sic alloquitur: Charissimi, nolite obstupescere tanquam ad rem peregrinam propter æstum, qui ad tentationem vobis fit. In modicum enim

nunc contristati estis in variis tentationibus, ut probatio fidei vestra multo preciosior sit auro, quod perit, quod per ignem probatur, 1. Pet. 1. v. 6. Ut sic communis sanctorum vox sit Psal. 66. v. 10. Quoniam probasti nos Deus: igne nos examinasti, sicut examinatur argentum. 4. Præter hos diversos adversitatum respectus Deus etiam interdum *magistra* piis & innocentibus hominibus immittit. Qualia evenere Abeli à Caino fratre, Gen. 4. v. 8. Achimelecho Sacerdoti à Saule. 1. Samuel. 22. v. 16. Zachariæ filio Jojadæ. 2. Par. 24. v. 21. Joanni Baptistæ ab Herode. Matth. 14. v. 10. Hæc certe non sunt indigna irati Dei, sed potius testimonia firmissima superesse post hanc etiam aliam vitam, in qua iustus bene esse debeat, ut fructum laborum suorum comedere queant. Ier. 3. v. 10. Quapropter non temere neque sine perisistire de calamitatibus, sive propriis, sive alienis iudicemus.

Et hæc quidem calamitatum causæ sunt notæ & conspicuæ. Possunt tamen etiam aliæ esse obcuriores, & tamen justæ, quæ non modo ad hominis utilitatem, sed potius ad Dei gloriam sunt referendæ. Nam de huius hominis cœcitate Christus ipse dicit: *Neque hic peccavit neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo.* Quod nec hunc, nec ipsius parentes Christus peccasse dicit, non simpliciter accipiendum est, sed secundum quid, & juxta Apostolorum propositam questionem. Nimirum non eo modo ipsos peccasse, quod propter singulare aliquod aut enorme scelus hunc cœcum nasci oportuerit. Interim ratum manet illud Pauli Rom. 3. versic. 23. omnes peccaverunt & egent gloria Dei. Et illud Johannis 1. Johann. 1. versic. 8. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas non est in nobis. Quod vero Christus adjicit, hunc cœcum natum esse, ut manifestentur opera Dei in ipso, id eventus rei comprobavit. Etenim non unum opus, sed plura opera DEI in hoc misero cœco sunt manifestata. Nam primum manifestatur in eo severa Dei justitia, qua ostendit, quid ob naturæ nostræ depravationem omnes mereamur, si pro jure suo in nos animadvertere velit. Deinde bonitatem suam manifestat, quod miserum hunc, oculorum usu carentem non tantum servat, alit, tuetur, sed etiam jam ex gratia visus acrimonia donat. Manifestat insuper suam potentiam, quod cœcum natum illuminat: vocat ea quæ non sunt, ut sint Romanor. 4. versic. 17. & facit in mediis tenebris splendescere lucem. 2. Corinth. 4. versic. 6. Manifestat denique suam veritatem, quam præstitit mittendo filium in hunc mundum, ut ejus Salvator & Messias esset, cui inter alia hæc notas, ex quibus cognosceretur, addidit: Tunc enim dixit Propheta, aperientur oculi cœcorum, & aures surdorum patebunt. Jesa. 35. versic. 4. Hæc de hoc cœco. Interim quisque suo loco enixe operam dare debet, ut qualiscunque sit in hoc mundo: Dei tamen opera in eo manifestentur.

Cæterum subdit Christus: *Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est, venit nox, quando nemo potest operari.* His verbis Dominus Jesus, non tantum suis Apostolis, sed etiam nobis innuere vult indefessum suum studium, quo singulis

gulis horis atque momentis in diebus carnis suae nihil aliud egerit, omnes suas cogitationes & omnium vitam consilia eo direxerit, hunc denique suum cibum & potum esse passus fuerit, ut opus humanæ salutis, cuius gratia à Patre in mundum missus fuerat, absolveret. Hoc in Christo capite suo omnes veri Christiani imitari studeant, ut & ipsi quotidie perpendant, in quem finem à Deo conditi, in quem finem à Christo Jesu redempti, in quem à Spiritu sancto regeneriti, in quem denique tot ac tantis beneficiis affecti sint: ac proinde etiam operentur opera ejus, qui ipsos misit. Misit autem nos Deus, aut collocavit in hunc mundum, non ut tantum domos ædificaremus, aut vineas & hortos plantaremus, multo minus ut voluptatibus indulgeremus, aut vitam in otio & desidia consumeremus, aut sine jure, sine injuria opes undequaque corraderemus: sed ut ipsius agnitioni studeremus, agnito fideremus, ei in justitia & sanctitate ferviremus omnibus diebus vitæ nostræ, atque si ita ipsi servivissemus in hac vita, postea per ipsius gratiam & propter meritum Christi ad æternam felicitatem & beatitudinem transfereremur in cælos, in quibus ipsum concelebraturi essemus in omnem æternitatem. Movere nos debet, quod Deus, ut hic Christus monet, cuique suum constituit diem, hoc est certum tempus, quo operari possit, quo elapso nihil amplius præstare queat: venit enim nox quando nemo potest operari. Cum ergo sua stet cuique dies, cumque omnes, licet alii citius, alii ferius metam properemus ad unam, quisque videat, ut præter salvificam fidem etiam instructus sit bonorum operum actionibus, ne nudus & inops ante tremendi iudicis conspectum compareat. Qui enim bona egerunt, hoc est, fidem suam bonis operibus testatam reddiderunt: ibunt in vitam æternam: qui vero mala, in ignem æternum. Matth. 25. v. ult. Dum ergo tempus habemus operemur bonum ad omnes. Gal. 6. v. 10. Et Salomon scripsit: quodcumque potest facere manus tua instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos quo tu properas, Eccl. 9. v. 10.

Quod vero Christus addit: quam diu fuero in mundo, lux sum mundi: & quidam inde disputandi occasionem sumunt: Num ergo, postquam Christus corporalem suam præsentiam per ascensionem in cælum mundo subtraxit, jam in eo nox sit, sicuti etiam ante ipsius adventum fuerit. Revera hæc ἀεὶ βολογία minime opus est. Etenim in præcedentibus Christus loquitur non de aliis, sed de seipso, & testatur sibi non minus à cœlesti Patre certum tempus ceu diem destinatum esse, quo eum operari oporteat. Illo finito se non amplius docturum, miracula editurum, passurum, & reliqua, quæ faciunt ad opus redemptionis humanæ, administraturum. Cumque nox ea immineat atque instet, operi etiam insistendum esse, ne occasio bene de hominibus merendi præripiatur. Interim idem Christus Jesus, æternus Dei filius, semper lux mundi est & manet. Semper enim in mundo fuit tam ante nativitatem, quam post ascensionem. Sic enim Johannes c. 1. v. 10. de tempore ante nativitatem inquit: In mundum erat, & mundus per ipsum factus est; sed mundus eum non cognovit. Christus autem ipse de tempore post ascensionem

Harm. Tom. I.

dicit: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Matth. 28. v. ult. Itaque Christus semper est lux mundi, inde ab ejus initio, usque ad ejusdem finem. Et Paulus de suo tempore loquens affirmavit: Lumen cognitionis gloriæ Dei in facie Jesu Christi ministratum fuisse. 2. Cor. 4. v. 6. Nos hodie si conqueremur de salvifica hac & divina luce, revera bipedum ingratiissimi essemus. Quapropter si quis omnino hæc verba Christi: Ego sum lux mundi, quamdiu sum in mundo, ad tempus corporalis ipsius conversationis in mundo accommodare velit, is aliter ea accipere non debet nec potest, quam quod illud tempus dies dici possit κατ' ἐξοχὴν & per excellentiam aliquam. Quia tum temporis sol ille justitiæ mundo quasi dupliciter luxerit, tam corporali præsentia, quam cœlesti doctrina. Unde ipse Abrahamus pater omnium credentium, exoptavit, ut videret hunc diem Christi. Joh. 8. v. 56. Et Christus Apostolis dixit Luc. 10. v. 23. Beati oculi qui vident quæ vos videtis.

II. Secundum membrum est miraculum ipsum. In hoc ante omnia considerari potest cæci persona. Is enim à nativitate cæcus fuisse describitur. Unde ipsi miraculo non levis accedit autoritas. Illi enim morbi, qui vel in utero matris, vel in partu contrahuntur, minime omnium curabiles existimantur. Accessit huic morbo extrema egestas, qua victum quotidianum publice mendicando quærere coactus fuit: Bis ergo miser & calamitosus fuit, cum cæcitate naturali nihil infelicitus, egestate autem & mendicitate nihil gravius homini ingenio accedere possit. Typum hic cæcus gerit totius humani generis. Natura enim jam, post tristem primorum parentum lapsum non tantum in rebus divinis & salutem nostram æternam concernentibus omnes prorsus cæci sumus: verum etiam in iis, quæ humanæ prudentiæ subiecta esse videntur, mirum in modum cæcutimus. Cum enim primi parentes scientiam boni & mali illegitimis mediis affectarent, & Deo similes fieri appeterent, miseri illam etiam intellectus sui lucem amiserunt, qua Deus ipsos initio gratuito donaverat. Accedit huic malo, quod insuper extremo mendici sumus: egemus omnes gloria Dei: Rom. 3. v. 23. destituimur quoque omnibus facultatibus, quibus miseris nostris medela adhiberi posset, adeo, ut ex nobis, tanquam ex nobis, ne quidem boni quid cogitare possimus. 2. Cor. 3. v. 5. Nisi ergo hominibus à Christo, qui hunc cæcum sanavit, spes salutis affulgeat, in cæcitate & egestate hac ipsis pereundum est in æternum.

At, qua ratione Christus hunc cæcum sanavit, quoque est considerandum, ubi ante omnia non negligendum videtur, quod cum cæteris fere ægrotis Dominus salutem contulerit, ad ipsorum petitionem, alios etiam ad petendum ipse excitavit (ut cum Luc. 18. v. 41. cæco dicit: quid vis tibi ut faciam) huic tamen nec petenti, nec salutem quærenti, imo nec aliis pro ipso intercedentibus salutem ultro obtulit. Hanc benignitatem Christum Jesum adhuc hodie etiam erga nos & quosvis alios exerere, grati agnoscamus. Ut, quemadmodum ipse Johannis 1. v. 16. suis discipulis dixit: non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Nimirum Petro & Andrea, Jacobo & Johanni, itemque cæ-

Kkkkk 4

teris gratuitam illam benignitatem insinuans, quod eos nihil minus cogitantes aut desiderantes ultro ad Apostolici muneris dignitatem vocaverit. Ita nobis quoque qui vere in ipsum credimus, & per fidem ipsius virtute in salutem custodimur, paratam revelari in tempore novissimo, 1. Pet. 1. v. 5. dicere potest: Ego vos elegi ante mundi constitutionem, ut essetis sancti & immaculati in conspectu meo in caritate Eph. 1. v. 4. Quæ igitur operum nostrorum erunt merita in toto salutis negotio; cum ex gratia omnia facta esse tota scriptura loquatur? Eph. 2. v. 8. Sed non in spiritualibus tantum: verum etiam in temporalibus divina gratia sic nos prævenit: Quod Deus apud Jobem innuere voluisse videtur, cum inquit: cap. 38. v. 4. Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ, quasi diceret: Cum ego in tuos & aliorum usus terram, quam tu pedibus calcas, stabili sede locarem: cum eam tot frugibus tot arborum generibus, tot quadrupedum & avium speciebus, tot denique aliis rebus, ut nihil tibi ad vitæ necessitatem neque ad ornatum, neque ad oblectationem deesse possit, implem. Tum certe neque conceptus neque natus eras, cum tibi tam amplam hanc domum & mensam rebus omnibus instructam præpararem. Sed quotus quisque hæc considerat? Quin & si quando Dei gratiam peccando amisimus, animam nostram variis criminibus inquinavimus, multisque injuriis ipsorum ad iracundiam provocavimus: nihilominus tamen ipse nos in miserabili illo statu jacentes oculis gratiæ respicit, verbo salutis animi nostri fores pulsatur, sicque nos ipsum negligentes ad salutem rursus quærit. Denique quot & quam varia pericula, quam varias dæmonum fraudes & laqueos, ipsum nobis insciis præcidisse putabimus, quos certe induissemus, nisi ipse (nihil nos curantibus) immanissimi hostis conatus repressisset? Ipse enim est custos ille Israelis, qui neque dormitat, neque dormit. Pl. 121. v. 4. Nullo itaque modo nos, quoad gratiam, apud Christum hoc cæco inferiores statuamus: sed quemadmodum ipse huic oculorum lucem non quæsitam gratis obtulit: sic frequenter ipsum nos nescientes & aliud agentes beneficiis suis sponte prævenire statuamus.

Sed jam ad curationem ipsam perveniamus, quam Dominus luto, ex saliva sua & pulvere terræ confecto, oculis cæci illito, & aquis piscine Siloe, rursus abluto, perfecisse scribitur. Hanc vero novam & insolitam curandi formam mysterio vacare quis putabit? Et quidem variæ quæsitæ sunt allegoriæ, tam spiriti quam luti, inter quas, quæ sunt fidei analogæ, tolerari possunt, quanquam semper una altera sit accommodatior. Chrylostomi sententia est, voluisse DNM. eo significare, se illum ipsum esse, qui olim hominem ex luto finxisset: eundem corruptum, se suis manibus refingere & instaurare: ac proinde se legibus sabbati non adstringi, prout Pharisei exigebant, imo se sabbati Dominum esse. Huic sententiæ accommodari possent multi loci sacræ scripturæ. Sic Job. 10. v. 9. ad Deum dicit Memento quæso, quod sicut lutum (*αἰς πῆλον* מרח) feceris me, & in pulverem reduces me. Et Jesa. 64. v. 8. Domine pater noster es tu, nos vero lutum, & fictor noster tu. Lutum ergo cæci oculis imponitur, ut nos admoneat, quo mortalitatem nostram assidua consideratione an-

te mentis oculos ponamus, sicque rerum humanarum inanitatem agnoscamus.

Certe qui in hoc speculo seipsum attente consideraverit, qui jam se limum & lutum esse agnovit; quique qualis, paulo post in tumulo futurus sit cogitaverit; is facile omnem factum & animi tumorem deponet, se ipsum tanquam mox lutum futurum contemnet, res humanas omnes pro nihilo ducet, & qui hisce, (cum tandem omnes ad lutum sint reditura) nimia aviditate inhiant, stultos & amentes judicabit.

Cyrcillus existimat Christum sputum adhibuisse, ut ostenderet, omnia ea, quæ ex humanitate sua prodirent, esse vivifica, siquidem ea essent *ῥῶμα λόγῳ* vivifico personaliter unita. Sic etiam Christus sputum adhibuit Merc. 7. vers. 33. in sanatione surdi muti.

Alii per lutum hoc, quod rursus abstergendum erat, intelligunt sapientiam carnis, quæ nobis tenebras offundat, per salutaris fontes baptismatis & verbi divini abstergendam esse, si salvifica lucem in Christo salutis authore frui velimus. Nec male convenit hæc sententia: Ut enim saliva partim ex cerebro destillat, partim in ore ex faucibus & linguæ humoribus colligitur, & nimia abundantia aut amaritudine cibi fastidium parit: Sic carnis sapientia ex nostro cerebro enascens, & circa ea, quæ gula inserviunt, occupata, efficit, ut divini verbi, ceu cœlestis Mannæ, fastidium nos capiat. Et ut lutum oculis illitum nocet, eosque impedit, quo minus videndi officio fungantur: Sic carnis sapientia menti nostræ varias, opiniones; ceu crassos fumos objicit, ut ad cœlestia penetrare, & Christum unicum veritatis lucem aspiciere nequeamus. Quapropter illam in salutaribus fontibus Israelis totam abluere debemus, si Deum ipsiusque Christum Salvatorem nostrum, omnis boni authorem, puris oculis intueri velimus. Hinc D. Paulus serio monet, ut caveamus, ne quis nos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam: secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum. Coloss. 2. v. 8.

Ut autem sint hæc omnia, certum est, Christum in sanando hoc cæco (ut etiam non nunquam alibi) adhibuisse ejusmodi medium & remedium, quod rationi nostræ prorsus videtur esse absurdum & contrarium. Qui enim conveniebat luto oculis subfundere ad lucem illis conferendam, cum hoc magis ad obscurandam oculorum aciem faciat? Sed sic solet Deus sæpe nobis mederi per contraria media, ut quas res nobis perniciem allaturas putabamus, eas saluti nostræ conducere experiamur. Unde pius Rex Ezechias Jel. 38. v. 17. Ecce quæ visa sunt mihi acerbissima, conversa sunt mihi ad pacem. Sic Deus interdum uniuersorem, alteri maritum, aliis liberos, aliis patrimonium, aliis corporis sanitatem eripere solet: quæ licet initio pernitiola videbantur, progressu tamen temporis salutaria esse intelliguntur. Hoc vero modo opera Dei redduntur illustriora: sicuti hic modus sanandi re ipsa effecit, ut omnes statuerent potuerint, non fuisse eam physicam sanationem. Sic legimus Elisæum 2. Reg. 2. v. 21. amaras aquas injecto sale dulces reddidisse. Jesaïas quoque cap. 38. versic. 21. ulcus Regis Ezechiaë massa ficorum sanavit,

sanavit, quæ (si rerum naturam spectemus) magis illud exulcerare & inflammare, quam sanare debuisset. Hinc etiam Naaman Syrus, cum septies in Jordane lavisset, & à lepra sua sanatus esset, agnovit divinam esse sanationem. 2. Reg. 5. v. 15. Discamus ergo de Dei operibus, de efficacia item Sacramentorum judicare, non ex ratione nostra, sed ex Dei verbo. Naaman initio noluit in Jordane lavare, sed postmodum persuasus experitur verbum Prophetæ esse verum. Ita nos quoque semper desideramus, ut Deus per ejusmodi media nobiscum agat, quæ nobis sunt grata & accepta, verum nihil ipsi præscribamus, admittamus ipsius medicamenta, licet rationi nostræ noxia & carni molesta videantur, & re ipsa experiemur, illa contra opinionem & spem nostram animæ nostræ morbus sanare.

De Siloa fonte etiam aliquid dicendum est. De eo D. Hieronymus in 8. caput Iesaiæ hæc scribit: Siloam esse fontem ad radices montis Sion, qui non jugibus aquis, sed incertis horis diebusque ebulliat, & per terrarum concava & antra saxi durissimi cum magno fonitu veniat, dubitare non possumus, nos præsertim, qui in hac provincia habitamus. Hoc cum descriptione Prophetæ Eisaie minus convenire conqueruntur aliqui. Hic siquidem scribit cap. 8. v. 6. Populus iste abjecit aquas Siloe, quæ vadunt cum silentio. Sed utrumque verum esse potest in tam diversis temporibus. Nam etiam Josephus testatur lib. de bell. Jud. 6. cap. 11. fontem Siloe ante Titi Cæsaris adventum sic defecisse, ut juxta eum aqua venderetur. Post Titi adventum autem tanta hubertate hostibus fluxisse, ut non modo ipsis & jumentis ipsorum, sed etiam hortis aquæ suffecerint. Quid igitur mirum, quod is Dominus, qui fluente ponit in desertum, & exitus aquarum in sitim Psal. 109. v. 33. qui item convertit petram in stagna aquarum & rupem in fontes aquarum Psal. 114. v. 8. eundem fontem interdum molliter & large, interdum aspere & parce fluere sinat? Præsertim in hoc fonte, quem mysticum quid præ se tulisse D. Johan. disertis verbis hic innuit, dum dicit: quod si interpretis, sonat missus. Quis vero est ille Missus? Moses Jehovah dicit: Exod. 4. 13. Obsecro Domine, mitte quem missurus es. Ubi idem verbum usurpat: שלח נא ביר השלח. Et Prophetæ Jesaias cap. 19. v. 20. dicit: Dominus mittet eis (scilicet, populo suo) Salvatorem & propugnatorem, qui liberet eos. Ubi in Hebræo est verbum שלח. Jesus ergo Christus, æterna Patris sapientia, in hunc mundum missus est, ut sit cæcis lux, in sapientibus sapientia, egentibus thesaurus. In ipso enim absconditi sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ. Col. 2. 3. Huc etiam quadrare videtur epitheton illud, quod Jacobus Patriarcha Messia mittendo dedit Gen. 49. v. 10. dum eum Siloh vocavit, quod vocabulum etiam vulgata versio reddidit: donec veniat, qui mittendus est. Scribuntur etiam hæc vocabula in Hebræo iisdem literis. Gen. 49. v. 10. שלח Siloh. Jes. 8. v. 6. שלח Siloach. in Syriaco habetur Joh. 9. v. 7. שלוחא Schilucha. Græci pro u uli sunt σ. extrita asperatione, & ad finem adjecere μ. sicq; σιδωμ scripterunt, potius secundum Syriacam, quam Hebraicam pronunciationem.

Aqua ex hoc fonte collecta, consecit piscinam

sive natatoriam: Ad hanc Christus cæcum hunc remisit, ut ibi se lavaret & visum reciperet. Cur non remisit eum ad piscinam Bethesda, Joh. 5. v. 2. cujus aqua alioqui ab angelo motæ vim habebant sanandi quemvis morbum ejus, qui primus descendisset & lavisset? Si Christus id fecisset, tum Judæi illuminationem hujus cæci non Christo, sed virtuti hostiarum, quas Nathinai in illa piscina lavabant, atq; sic lotas sacerdotibus in templo offerendas tradebant, adscripissent. Ostendere itaq; voluit Christus, virtutem non ex aqua vel elemento, sed ex verbo suo elemento conjuncto dependere. Quicunq; igitur à naturali sua cæcitate & tenebris mentis suæ liberari cupit, is Christum Jesum, lucis Dominum accedat, humiliter ab ipso illuminationem petat. Remittet enim eum ad καλυμνηθραν baptisterii, in quo, verbo suo omnes aquas, sive sint Jordanis, sive Albis, sive alterius alicujus fluvii, sanctificavit, ut conducant ad ablu-tionem peccatorum, liberationem ex regno satanæ & donationem æternæ beatitudinis: si modo verbis Christi, sicuti hunc cæcum fecisse audimus, fidem habeamus. Quanquam etiam alia causa esse potest, cur ad hanc piscinam potissimum remisit cæcum. Præteribat hac vice Jesus Hierosolymam, & ad portam urbis delatus, invenit ibi hunc cæcum desidentem & mendicantem. Cumq; piscina Bethesda intra urbem, piscina vero Siloe extra eam esset: Ad hanc tanquam ad viciniorem illum potius, quam ad istam remisit. Quin & hoc notatu dignum est, quod cum adisset Christus Siloh, missus, concidit turris Siloe, Luc. 13. v. 4. & aquæ fontis non amplius ita fluxerunt, prout ex Iosepho & D. Hieronymo audivimus: ut vel ex his signis constaret, Messiam Missum jam adesse, neque ulterius expectandum esse.

Tandem etiam qualem se cæcus gesserit, videntum est. Hic in omnibus paret, & hanc ipsius obedientiam felix effectus secutus est. Etenim abiit, lavit, rediit videns. In his verbis plus continetur, quam in illis Caji Julii Cæsaris: Veni, Vidi, Vici. Miretur quis tantam obedientiam in cæci hujus persona. Sed dubium non est ipsi famam de Jesu Nazareno, quæ universam regionem illam, & in primis urbem Hierosolymam pervolarat, non ignotam fuisse. Cumq; audiisset, ipsum aliis cæcis oculos aperuisse, spem firmam concepit futurum, si aliquando propitio Deo in ejus manus incideret, ut & ipse visum reciperet. Jam cum adisset Jesus, eumque juvare vellet, absque dubio circumstantes, sive Apostoli sive alii, ei indicarunt, hunc esse illum Jesum, & monuerunt, ut patienter admitteret, quocunq; modo ipsum tractaturus esset. Alioquin homo cæcus non facile passurus fuisset, ut ab homine ignoto oculi ipsius luto inungerentur. Fuerunt igitur semina fidei in Jesum in hoc cæco, & speravit hanc unctionem à Jesu factam sibi fore salutiferam. Nam sibi non ignotum fuisse, à Jesu Propheta se eum in modum tractari, illud postea ipse ad vicinos suos fatebitur: quando dicet ille homo, qui dicitur Jesus, lutum fecit & inunxit oculos meos. &c. Hanc fidem in Jesum conceptam sequitur etiam ὑπακοή τῆς πίστεως seu obedientia fidei, ut Paulus nominat Roman. 1. v. 5. & 16. v. 26. Quam primum enim Christi verbum accepit, ut abiret ad piscinam Siloam, ibiq; lavaret, abiit, lavit, & ecce



& ecce felix ac lætus eventus obedientiæ fuit: *vidit enim videns.*

Discimus hujus cæci exemplo, si spiritualem illuminationem cum animæ salute à Christo Jesu accipere velimus, ante omnia necesse esse, ut constanter in ipsum credamus, & ex fide ab ipsius misericordia, bonitate & potentia petamus, quæcunque nobis ad vitam æternam sunt necessaria & salutaria. Deinde ex fide etiam obediamus ipsius verbo; utamur sacramentis ab ipso institutis & nobis commendatis: ipsum ducem quasi cæcis oculis sequamur. Abeamus, lavemus in piscina baptisterii, clavi absolutoria nobis cœlum referari petamus, corpore atque sanguine ipsius cibemur atque potemur. Hæc media licet rationi non minus vilia esse videantur, quam lutum oculis hujus cæci illitum: non tamen eas negligamus, nec contemnamus, sed juxta verbum & institutionem Christi in obedientia fidei utamur. Sequetur salutaris eventus, ut hisce utentes non tantum semel spiritu & gratia ipsius illuminemur, sed & quotidie in melius proficiamus, donec æternæ salutis participes fiamus. Hic vero effectus propterea sequitur, quia hæc media ordinata sunt non à sancto aliquo homine, sed à Christo, hoc est, ab eo, qui à cœlesti Patre unctus & ad hoc missus est, ut salutem conferat humano generi. Et ad hoc alludere videtur textus hujus historiæ, in quo toties repetitur, *Jesus èνις πεισε, inunxit oculos meos.* Si ipse Christus, unctus Dei, inungat nos suis sacramentis, utcunque illa contemta sint in oculis sapientum hujus mundi: non tamen offendamur, sed firmiter credamus, per illa nobis salutem offerri, conferri. Et hæc est preciosa illa fides, quam D. Petrus commendat, 1. Pet. 1. v. 7. quæ per ignem contentus mundi explorata nobis laudis & gloriæ & honori erit, cum patefiet Christus Jesus. Quod vero hodie multum in regno Pontificio, tum inter phanaticos cæci manent, aut quotidie in tenebras crassiores incidunt, hoc inde fit, quod Christum ducem fidei & vitæ sequi nolunt, verba & sacramenta ipsius pro vilioribus habent, quam ut in iis salutem quærant. Quorum etiam damnatio justa.

III. Postquam Dominus cœlesti collyrio oculorum caliginem à cœco depulerat, sequitur nunc vicinorum dubitatio & disceptatio de illo, quæ ad id conducebat, ut & miraculi cognitio ad plures dimanaret, & ejus veritas tanto plus illustraretur. *Vicini ergo eum videntes, dicebant: nonne hic est qui sedebat & mendicabat? Alii dicebant: Hic est: alii rursus, similis est ei.* Hæsitatio hæc vicinorum inde provenit, quod cætera signa consentiebant, & eundem illum mendicum esse confirmabant: sola nova illa oculorum lux ipsos suspensos & incertos tenebat. Quod ipsum nobis commonstrat, qualis mutatio in homine fieri soleat, si quando Deus ipsum in peccatorum tenebris hærentem Spiritus sancti gratia illuminat. Tum enim talis apparet, ut non tantum vicini & familiares illum sui valde dissimilem fateantur: Sed idem ipse homo seipsum vix agnoscat. In Paulo certe, qui primum minas & cædes spirabat in discipulos Domini, tanta mutatio facta est, ut, qui eum prius cognitum habuerunt, initio noluerint ipsum ad conversionem suam admittere: eo quod non fiderent

ipfi. Actor. 9. v. 26. Sic Petrus scribit de iis, qui ex Gentibus ad Christum conversi erant, quod peregrinati sint, hoc est, quod ipsis res nova, peregrina, & inusitata visa fuerit, quando non secum concurrebant ad eandem lux profusionem, 1. Pet. 4. 4. Idem etiam fit in aliis hominibus, quando cœlestis gratiæ lumine atque virtute tota ipsorum vita immutatur: ut, qui prius cupiditatibus suis serviebant, postea divini spiritui obtemperent: qui prius omnia ad corporis voluptatem & commodum referebant, postea corporis voluptatibus spretis pietati & justitiæ serviant: qui prius nullam nisi carnis & membrorum legem agnoscebant, postea illa abrogata vitæ suam juxta legem Dei dirigant.

Hanc mutationem etiam novi animi motus sequuntur, ut, qui antea turbulenti, contumaces & effrenati erant, postea mire mites, patientes & tractabiles efficiantur. Ira siquidē in lenitatem, fastus in humilitatem, feritas in humanitatem, tenacitas in liberalitatem permutantur. Hæc est mutatio dextræ excelli. Pl. 77. v. 11. Quæ ubi facta est, homo grata mente eam agnoscere, & apud alios prædicare debet, sicuti hunc cæcum id fecisse hoc loco audimus.

Nam cum vicini de ipso hæsitarent, utrum esset, nec ne? *ipse dicebat: Ego sum.* Non pudet ipsum pristinæ suæ miseræ conditionis, modo Jesu, cuius beneficentiam expertus fuerat, suam gloriam tribuere possit. Cumque vicini instarent: *quomodo ergo oculi aperti sunt tibi?* Ipse auctorem exponit, à quo sit sanatus. *Ille homo, qui dicitur Jesus: quasi dicere veller: ille Jesus, quem à plerisque contemni, à multis insidiis peti, à principibus nostris summo odio premi audio, ille hanc salutem mihi attulit. Quomodo vero id factum est? Hic modum sanationis & omnes facti circumstantias enarrat: lutum fecit, & inunxit oculos meos, & dixit, vade ad piscinam Siloam, & lava.* Postremo etiam effectum ipsum, videlicet, oculorum sanationem ostendit: *Abii, lavi, & visum recepi.*

Hic quidam disputant, quomodo visum receperit, cum nunquam eum nec habuerit, nec amiserit. Sed responsio plana est: Deus ipsum non cœcum crearat. Omnia enim opera Dei perfecta. Quod vero hic & alii cæci nati sunt, illud non ex Deo, sed ex satanæ odio provenit, qui infantibus, etiam in utero matris delitescens, oculos comprimere sicque ipsos excecicare potest. Recte ergo postea dicitur, si tales usum oculorum consequantur, quod visum recipiant. Denique inquirunt vicini: *ubi est ille scilicet Jesus? Cæcus etiam hic, quod res erat, respondit: non novi.* Dum enim cæcus ad piscinam lavatum abierat, Jesus jam urbem transierat, ut, quorsum is pervenisset, cæcus novisse non posset. Neque enim in illo loco hære voluit, ne vel ab ipso homine redeunte, qui visum recepisset, vel à plebe, ad rei novitatem videndam concurrente, gloriolam aliquam reportare voluisse videretur. Ipse siquidem ab hominibus gloriam non accipit. Joh. 5. v. 41.

Hæc est ingenua hujus cæci coram suis vicinis confessio, qua etiam nobis Christianis formulam sinceræ & veræ confessionis præscribere videtur. 1. Neminem pudeat fateri pristinam suam naturam & conditionem, quam vel ex primis vel ex propinquiore parentibus contraxit. Natura enim (ut audivimus) omnes cæci, mendici, & sempi-

sempiterno exitio destinati sumus. Quoties David de prædicat, Deum se sustulisse de gregibus ovium, & de post fuerantes, ut regni israeliticæ habenas moderaretur? Psal. 78. v. 70. Paulum non puduit toti posteritati confiteri, 1. Timoth. 1. v. 13. quod fuerit blasphemus, persecutor & in iustus. Gentium quoque Ecclesiis idem in memoriam revocat: Eph. 2. v. 11. Mementote vos quondam gentes in carne fuisse, &c. Hoc conducit ad reprimendam superbiam carnis, quam videmus intolerabilem esse in istis hominibus, quos Deus ad aliquem dignitatis statum evexit, sed ipsi prioris suæ miserae conditionis oblitii sunt. Verbi itaque ministrorum est, homines interdum ejus commonefacere, & urgere ut in rebus prosperis se submissè gerant neque altum sapiant.

2. Neminem etiam pudeat Jesum Christum salutis suæ autorem confiteri. Quem enim puduerit Christi & ejus sermonum in generatione hæc prava: ejus vicissim pudebit Christum, cum venerit in majestate sua & Patris, Luc. 9. vers. 26. Cumq; soleat Christus salutem nostram perficere per media vilia & abjecta, sicut hic per sputum & lutum; non pudeat nos etiam in iis ingenuam nostram confessionem edere. Etenim quo viliora sunt media, quibus hic Dominus opera sua perficit: eo illustrior in iis est ipsius potentia & gloria. Quid in speciem vilis est aqua? vel ejus aspersio? Et tamen hic Dominus per eam operatur regenerationem & peccatorum remissionem. Tit. 3. 5. Quid magis vulgare pane & vino? Et tamen Christus in sacra sua cœna mediante benedictione verbi distribuit nobis sub pane suum corpus, & in vino suum sanguinem, & simul nos admittit in communionem omnium eorum, quæ ipse corpore & sanguine suo in innocenti sua passione & morte acquisivit. Hæc vero omnia de Christo Domino nostro sic consecramus, ut in eorum participationem nullam creaturam, & ne sanctissimos quidem Divos admittamus. Suam enim gloriam hic Dominus alteri non dabit.

3. Quæ vero non novimus, ut ad illa respondeamus, necesse non est. Sicuti quidam laudem & gloriam apud homines querunt in proferendis iis, de quibus ipsis nihil constat. Hanc hominum approbationem non queramus. Neque enim quem mundus, sed quem Deus commendat, hic probatus est. 2. Cor. 10. v. 18. Ob hanc ingenuam confessionem jam hic cæcus à vicinis suis abripitur ad Phariseos, & quasi à Christo, parentibus & omnibus hominibus derelictus solus pro se respondere tenebitur. Non tamen erit solus. Quia Christus corpore absens, gratia sua præsens ita ipsum animabit, ut acerbissimis Christi hostibus non tantum expeditere respondere, sed & eosdem confundere possit. Nemo ergo in casu confessionis ob Christi corporalem absentiam contristetur. Ille enim personaliter & secundum modum dextræ Dei præsens, per spiritum suum dabit in illa hora, quid loqui debeat. Matth. 10. v. 19. & in corde nostro suam relinquet nobis pacem Joh. 14. vers. 27. quæ non tantum hostium sanas & minas, sed etiam omnem sensum exsuperare, atque nostra corda & intelligentias in Christo Jesu custodire potest. Philip. 4. v. 7.

Sed lubet cæci vicinos adhuc semel intueri: De

his enim dicit Evangelista: adducunt ad Phariseos eum, qui aliquando cæcus erat. Sunt, qui putant, eos bono animo ad Phariseos; hunc adduxisse, quod nimirum hoc modo innuere voluerint, Jesum, quem ipsi persequerentur, non esse hominem adeo malum, cum tam illustre præstiterit miraculum. Sed Augustinus, Chrysostomus, & alii, ex circumstantiis colligunt, ipsos malo animo eum ad Phariseos adduxisse. Quod enim inquisiverunt, ubi Jesus esset? id indicio est, ipsos maluisse ipsum Jesum ad Phariseos adduxisse, ut sic eorum gratiam & benevolentiam consequerentur. Quia vero Jesus jam abierat, ut eum in propria persona adducere non possint, adducunt eum in suo membro, modo suscepto, nec dum plane confirmato. Et hoc innuit Johannes, quando subjungit: erat autem sabbatum, cum lutum faceret Jesus, & aperiret oculos ejus. Sciebant enim hi vicini, Phariseos ex diei religione occasionem arrepturos calumniandi hoc plane divinum factum. Nam etiam jam ante Joh. 5. v. 16. Pharisei persecuti sunt Jesum, quod in die Sabbati paralyticum sanasset. Ergo Phariseorum judicio, non fuit sabbatum violatum in eo, quod cæcus abiit ad piscinam Siloam, & ibi lavit: sed ex ea parte, quod Jesus lutum fecisset, & oculos aperuisset.

Ex his insignis malitia horum vicinorum apparet. Debuissent huic misero & egeno congratulari de beneficio consecuto: & ecce eum in discrimen ac periculum adducere cupiunt. Christo etiam summo gentis Iudaicæ benefactori infidias struunt, per summam ingratitude maleficium pro beneficio reposituri. Et hoc omne faciunt prætextu religionis, sabbati violationem incusantes, qui prius charitatem violaverunt, dum immiserordes egentem hunc mendicem tantum non fame contabescere passi fuerunt.

Tales nimirum erga hunc cœcum sunt ipsius vicini, qui præ aliis ex antiqua notitia & necessitudine ipsum amore complecti debuissent. Sed sic fit, ut quamprimum homo conversus est ad Christum, mox inimici ejus fiant ipsius, domestici, Mich. 7. v. 6. & Matth. 10. v. 35. Expertus hoc est Paulus, qui ad Christum conversus, non alios virulentiores hostes habuit, quam Judæorum Pontifices, Scribas, & cum primis Phariseos, quibus antea se totum in persequendo Christo impendebat. Idem experiuntur omnes, quicumque relicto regno Antichristi ad Christi Evangelium transeunt. Hic fratrum quoque gratia rara: adeo ut Diazus Diazium, Gregorius de Valentia Hieronymum de Valentia ad mortem querat. Quia etiam illi, qui aliquantisper pravo sodalicio impliciti, Deo cor ipsorum tangente, per pœnitentiam ad meliorem frugem se recipere cupiunt, non habituri sunt acerbiores hostes & irrisiores, quam eos ipsos, qui antea intimi socii scelerum fuerunt. Sed hosce malos mundi mores agnoscamus, fugiamus, nosque ipsos divina protectioni commendemus.

In his etiam adumbratur, quæ sit fors veritatis in hoc mundo. Inter Judæos Phariseorum ordo fuit corruptissimus. Sicuti Christus hoc nuper Luc. 11. v. 42. prolixè ostendit & inferius Matth. 23. v. 13. pluribus explanabit. Et tamen stolidus populus, hi vicini, Phariseos sibi deligunt iudices,

Ces, in exploranda veritate divini hujus miraculi. Sic igitur veritatis iudicium submittitur acerrimis publicæ salutis hostibus. Id ipsum hodie quoque fit. Potestne major esse atheismus, aut possuntne esse mores corruptiores, quam in Pontificibus, Cardinalibus, Episcopis Italicis, Abbatibus, & in universo Clero Romano jam ab aliquot seculis sunt descripti? Et tamen hisce iudicibus debemus submittere veritatem Evangelicam, ut eorum arbitrio stet cadatve. Sicut in Conciliabulo Tridentino factum est. Imo quidam Reges & Principes ultro pontificios legatos accersunt, ut juxta illorum placitum negotium religionis & regionum statum componant, atque sic ipsis subditorum fortunas, corpora, vitam & animos subjiciant. Jesus rogandus est, ut hasce pestes procul à Germania abigat.

Quærere autem quis posset: qui factum, quod Dominus ad hoc miraculum edendum sabbatum elegerit, cum ignorare non potuerit, Judæos & Phariseos scandalizatos iri, prout etiam illud aliquoties expertus fuerat: adhuc ipsos in gravius adversus ipsum odium exarsuros? Respondeo: Dominum quidem scandalum & odium Phariseorum prævidisse: sed nec illud ignorasse, Phariseos ob temporis circumstantiam eo accuratius in hoc opus inquisituros, sicque miraculum omnibus notius futurum, quod alioquin, si alio die illud edidisset, neglecturi fuissent. Sic ergo Christus potior habuit rationem gloriæ sui patris, quam scandali à Phariseis accepi, non dati. Maluit item *ut manifestarentur opera Dei*, quam ut ipse à persecutionibus & odio malorum hominum liber esset. Eoque ipso suis ministris exemplum præbuit, ut ipsi ab illustranda gloria Dei, & propagando cursu Evangelii non desistant, ob scandala malorum hominum, quæ ipsi sibi sumunt. Frustraneum enim est sperare, posse Evangelium prædicari, & homines ad Christum adduci sine offensione mundi.

IV. Sequitur accurata in miraculum Christi à Phariseis instituta inquisitio. *Iterum ergo interrogabant eum & Pharisei quomodo visum recepisset. Quod iterum interrogasse scribuntur, illud intelligendum est respectu vicinorum, qui primum cæcum interrogant: Jam ergo & Pharisei iterum interrogant.* In quo secundum officium suum fecisse videntur. Etenim à populo iudices constituti erant in iis, quæ ad religionem faciabant. Iudicibus autem lex Dei severe injungit, ut in causas omnes diligenter inquirant, nec ad nudam saltem delationem & accusationem mox reum damnent: sed alteram partem etiam audiant. Hoc Pharisei in præsentia faciunt: & si sincero animo, studio inquirendæ veritatis id fecissent, utique laude digni fuissent. Verum animi ipsorum erant odio, livore & invidia adversus Jesum præoccupati, ideo non inquirunt veritatis amore, sed ea intentione, utrum inter examinandum aliquid expiscari & arripere possint, quod præbeat materiam condemnationis ob violatum sabbatum. Talia sunt etiam examina, quæ inquisitores hæreticæ pravitatis, Antichristi mancipia, cum Evangelicæ doctrinæ confessoribus instituere solent. In quibus non indagatur veritas, quæ sæpenumero ipsa meridiana luce clarior, oculis ipsorum inge-

ritur: sed occasio & prætextus captatur, unde fontes sub specie aliqua juris opprimi possint. Consolantur hac de re martyrologia D. Ludovici Rabi, & D. Johannis Foxi Angli.

Cæcus, licet facile augurari potest, hanc inquisitionem accuratam periculum aliquod sibi parturire: libere tamen, ingenue & sine tergiversatione respondet, & diserte, non modo quid Christus, sed etiam quid ipse ejus jussu fecerit, enarrat: *lucum mihi imposuit super oculos, & lavit, & video.* Non variat in sermone, nihil immutat in responso: sed constanter unum idemque de Domini erga se facto prædicat. Quod tamen dicit: *& video*: eo continuationem beneficii indicat, quod non fuerit evanidum, sed solidum & constans. Exemplum hic nobis præbet, si quando & nos nostram de Jesu Christo fidem profiteri debemus, ut id faciamus ingenue, aperte, candide, sine tergiversatione, sine æquivocatione: nihil immutemus, non quid alii fecerint dicamus, & de nobis ipsis interrogati taceamus: non peculiarem sensum intra mentem pro nobis retineamus: sed quod juxta præscriptum verbi divini diximus, docuimus, egimus, sine dissimulatione confiteamur. Talem confessionem Christus requirit Math. 10. v. 32. Marc. 8. v. 38. Luc. 9. v. 26. & 12. v. 8. Hic vero novisse perciperem, quomodo cum hoc exemplo cæci & mandato Christi consentiret Jesuitarum doctrina de æquivocationibus, quæ tradunt, licitum esse, non tantum ad privatorum hominum, sed etiam ad magistratum interrogationes æquivocare, idque non minus cum juramento quam absque illo. Quando nimirum interrogatus interrogatum non pro competente iudice habet: aut si interrogatus opinetur, competentem iudicem non habere legitimam interrogandi, aut adversarium non habere justam litigandi causam. Denique non teneri quemquam respondere secundum mentem interrogantis: sed licitum esse vel negare vel affirmare secundum propriam mentem, non curando de illa quam iudex habet. Hac Martinus Navarrus, Toletus Jesuita & Cardinalis, Gregorius de Valentia, Henricus Garnetus, Jacobus Sylvanus & alii. Re vera si sceleratissimi isti deceptores, Jesuitæ, nulla alia ratione Ecclesiam Christi & regna mundi turbassent, tamen vel saltem ob diabolicam hanc de æquivocatione doctrinam, quam teneræ juventutis animis instillant, digni essent, qui ex toto Christiano orbe expellerentur. Quid enim est certitudinem dictorum & factorum ex communi hominum vita auferre, si hoc non est?

Absoluto examine cæci, Pharisei inquisitores sermones inter se conferunt, quid de tota hac causa sit statuendum. Ibi in diversas itum est sententias: & primi ad dicendum prosiliunt, qui Jesum præ aliis oderant. Sicuti ira & odium virulentos animos extimulant, ut omnis moræ impatientes ad loquendum semper sint promtiores. Dicebant: *non est hic homo à Deo, quia sabbatum non observat.* Grande hoc est convitium in filium Dei, quod tamen non hic primum effutunt, sed etiam in superioribus aliquoties evomuerunt, quo divina ipsius opera ipsi diabolo adscripserunt. Si enim ea, quæ Christus facit, non sunt à Deo, & tamen humanis viribus sunt majora, utiq;

ut ex

ut ex Diabolo fiant, necesse erit. Sed dic mihi tu perfide Pharisæe, qui hoc ipso nato cæco mente magis cæcus es: habes hic duo opera: unum, quod omnem naturam vim longè superat, & de divina potentia apertissimè testatur: nimirum nato cæco oculos aperire: alterum, quod vix pro opere haberi potest, nimirum ex saliva & pulvere terræ luti quid conficere, & homini oculis in salutem ejus in sabbato applicare. Quomodo ergo hoc tam tenue te magis ad Jesum improbandum & ipsi convitiandum, quam illud potentissimum ad ipsius gloriam prædicandum impellit? Sicine decet simulatam pietate sabbati veram pietatem, imò Dominum sabbati proterere? Aut justumne est inanem religionis speciem solida & expressa religioni bellum inferre? Quod vero Christus hoc factò sabbatum nequaquam violat ac prophanarit, id ipse dudum firmissimis argumentis in diversis historiis. Joh. 5. Matth. 12. Marc. 2. & 3. Luc. 6. Johan. 7. evicit: Sicuti id videre est in XLVI. XLVII. XLVIII. & CXII. capp. hujus Harmoniæ. Habemus in his Pharisæis Pontificiorum Inquisitorum expressam imaginem. Mox enim absoluto examine cum iis, qui ad ipsos sunt delati, ad convitia defleunt: hæreticos, schismaticos appellant, qui non sint ex DEO, qui secessionem à Catholica Ecclesia fecerint, qui fidei unitatem scindant, quæ Divos cœlites, & in his Mariam virginem, Domini matrem, contemptui habeant, qui sacramenta prophanent, qui licentiam vitæ morumque invehere studeant, qui in Magistratus sint rebelles, vicinis oneri, bonorum operum inimici, seditiosi, digni denique sint, quos boni omnes detestentur. In quibus omnibus tam ipsos æquè falsa contra nostros, ac hosce Pharisæos contra Christum evomere, dudum à nostris disertè est demonstratum.

Hiscæ Christi convitiatoribus & turbatoribus DEUS ex ipso Pharisæorum ordine alios opponit, qui melius de Christo & ipsius factò sentiunt. Hi dicebant: *quomodo potest homo peccator hæc signa edere?* Judæi *ἄνθρωπον ἀμαρτανλὸν* hominem peccatorem vocare solebant eum, qui insigniter peccabat, totus à DEO abalienatus, qui quovis peccato delectabatur, ac propterea ex Ecclesia vel synagoga excludendus erat. Sic apud ipsos Ethnici, Publicani & peccatores pari passu ambulabant. In hunc ergo modum hi posteriores argumentari voluerunt. Homo, qui à DEO turpiter defecit, non potest miracula edere. Hic Jesus edidit *τοιαύτα σημεῖα, αἷα, ἅτα ἀτάκτα signa*, adeoque stupenda miracula, eaque multa & varia: Nequaquam ergo statuumendum est, ipsum à Deo defecisse, aut prophanum sabbati esse violatorem. Est quidem hoc ab ipsis benedictum: Sed argumentum non usq; ad eò firmum. Scriptura enim ipsa testatur, etiam impios DEI defectores & deceptores stupenda miracula edere posse. De Magis Ægyptiacis legimus in Mose, eos Aaronem in edendis miraculis imitatos esse, atque sic Pharaonem in induratione sua confirmasse. Exod. 7. v. 22. & 8. v. 7. & Deut. 13. v. 1. DEUS ipse prædicat Pseudopphetas signa & portenta edituros, interim monet, ne ipsis propterea fidem habeant, si ipsos ad defectionem cultus divini sollicitare velint. Matth. 7. v. 22. testatur Christus, multos in novissimo die gloriaturus es-

Harm. Tom. I.

se, quod virtutes multas in nomine ipsius ediderint, sed se eos rejecturum. Idem Matth. 24. v. 24. Pseudopphetis tanta signa & prodigia tribuit, ut, si fieri posset, electi in errorem inducerentur. Et Paulus 2. Thessal. 2. v. 9. confirmat Antichristi adventum futurum in omni virtute & signis & prodigiis mendacibus secundum operationem satanæ. Hujus itaque partis argumentum satis infirmum est: Deo tamen in præsentia illud sufficiebat ad retundendam priorum illorum Pharisæorum impudentem calumniam & condemnationem. Atque hinc videmus miram & sapientissimam Dei gubernationem, qui hostium suorum consilia & conatus tam facili ratione turbare & impedire potest. Eodem modo capite præcedenti Joh. 7. v. 50. dissipavit sanguinaria Pharisæorum contra Jesum consilia, unius Nicodemi ratione politica: num lex judicat hominem, nisi prius audiverit ex ipso, & cognoverit, quid faciat? Nemo ergo minus & conatibus hostium Christi nimum terreatur, quando Christo tam facile est istos dissipare, quam facillè fuit linguas aedificatorum turris Babylonice confundere. Imò paucula verba, & ea non satis firma, infirmorum in fide, ad confundendos impios sufficere possunt.

Ex hoc enim sermone *ἡ ἰσχυρὰ ἰσχυρὰ* *dissensio orta est inter Pharisæos*, quæ deliberationem ipsorum ad opprimendum Jesum institutam turbavit. Et hoc est illud Christi: non veni missurus pacem, sed gladium Matth. 10. v. 34. Non ergo omnis doctrina vel omnis sermo damnandus, qui schismaticis & dissidii videtur esse causa. Sunt enim dissidia illa, quæ suscipiuntur cum iis, qui in publicam perniciem omnium conjuraverant, bona & salutaria. Interim causa vel culpa dissidii non est rejicienda vel in doctrinam, quæ per se bona est, vel in personas, quæ synceram doctrinam tuentur: sed in rebellionem & improbationem induratorum hominum, qui veritatem nec agnoscere nec admittere volunt. Hæc cordium humanorum inflexibilis durities contra veritatem manifestatam adhuc hodie causa est tot dissidiorum, contentionum, certaminum, & commotionum, inter nos Evangelicos, Pontificios & Calvinianos. Christus Jesus errantes ad erroris agnitionem clementer inflectat, & veram concordiam nobis largiatur.

Cum ergo inter Pharisæos non convenire posset de Jesu & ejus factò, convertunt se ad cœcum, & ex hoc quarunt, quid de Jesu sentiat. *Tu quid dicis de illo, quia aperuit tibi oculos tuos?* Quidam Patrum existimant, hanc quæstionem cæco propositam ab illis Pharisæis, qui honestè de hoc Christi factò sentiebant: quod nimirum sperarint, se ex cæco testimonium aliquod elicere posse, quo calumniatores Jesu acrius refutarent. Alii putant, calumniatores eam cæco proposuisse, ea spe, quod metu præpeditus ob ipsorum præsentiam, non sit benè, imò fortassis etiam malè de Jesu locuturus, unde refellere possent eos, qui benè de Jesu sentiebant. Verum quid obstat, quominus velimus statuere, hanc interrogationem ab utraque parte conjunctim factam esse, & utramque ex cæci responsione expectasse, quod ad suæ sententiæ confirmationem faceret? Sic

LIIII

nimi-

nimirum illi, qui à veritatis tramite aberrant, & seipfos & alios infidiosis quaestiuaculis circumducere solent, donec plene confundantur. Quod etiam hisce factum est: Cæcus enim interrogatus disertè respondit: *Propheta est*: Non licet affirmare ipsum hoc de magno illo Propheta intellexisse, de quo Moses Deut. 18. v. 15. vaticinatus fuerat. In tantam enim Christi cognitionem miter nondum pervenerat. Vulgari tamen homine sublimius quid ipsum de Christo, ex beneficii hujus collatione, sensisse manifestum est. DEUS enim non subito plenam sui cognitionem suis infundere solet; sed sensim eos ad perfectionem adducit. Interim DEI opus fuisse agnoscamus, quod cum hunc hominem idiotam, mendicum, illiteratum, & ex utero matris cæcum Phariseis opponit, eumque rectius de Jesu Christo sentire facit, quam illi sentiant, qui supremum gradum in omni religione se obtinere sibi persuadebant. Sic sæpenumero apud factores & sutores, apud cerdores & idiotas, plus solidæ Theologicæ pietatis invenies, quam apud Cardinales galeros, Episcopos insulatos, Abbates bicornes, & summos alios religionis Pontificiæ antistites. Et hic est primus congressus inter Phariseos & cæcum.

2. Hac non successit, alia ergo aggrediuntur via Pharisei: qui hic, ut etiam alibi interdum à Johanne *Judei* appellantur, eo quod in Judæa, propriè sic dicta, habitarent, dominium obtinerent, se solos pro veris DEI confessoribus venditarent, & quicumque pro vero DEI populo haberi vellent, eos à se denominari volebant. Sed operæ pretium est, attendere, quo ordine in hoc suo judicio procedant. In judiciis alioquin prima quaestio esse debet de facto, an aliquid sit perpetratum: deinde de qualitate facti, an illud bonum sit an malum. Denique de jure, an accusatus sit absolvendus, an condemnandus. Boni hi judices processum omnem invertunt: primum de jure pronunciant, & Jesum, tanquam *hominem, qui non ex Deo sit*, condemnant: nunc demum de facto apud parentes cæci inquirunt: Imitantur formam judicii, in quadam provincia N. usitatam: in qua referunt furti accusatum primum suspendi, ac postea demum an verè reus fuerit, inquiri, sæpenumero idem evenit apud Pontificios Inquisitores: Et hoc modo DEUS gloriæ & nominis sui hostes sic ulcisci solet, ut in re manifesta quærant, hæreant, dubitent, inquirant, eant, redeant, & nihil non moveant, donec tandem confundantur. Sic hi Pharisei, in re tam manifesta, non crediderunt de illo, quod cæcus fuisset, & visum recepisset. Non crediderunt, hoc est, obstinate credere noluerunt, licet ex vicinis disertè audissent, ipsum & cæcum & à multis annis mendicum notum fuisse. Sic odium & invidia, vel potius DEUS hujus seculi (ut D. Paulus 2. Cor. 4. v. 4. loquitur) excæcat mentes infidelium, ne ipsis fulgeat illuminatio Evangelii gloriæ Christi.

Vocarunt ergo parentes cæci, qui, ut facilè judicare licet, fuerunt homines simplices, idiotæ, tenuioris item fortunæ & rerum omnium imperiti. Ex his sperant, se aliquid venari posse, quod ad prægravandum Jesum faciat. Proponunt iis tria interrogatoria. 1. *Hic est filius vester.* 2. *quem vos dicitis cæcum natum esse.* 3. *Quomodo ergo nunc vi-*

*det?* Multitudine interrogationum simplices adobruere velle, sophistices & malitiæ est indicium. Sed sic fit, ubi impii omnium rerum imperium obtinent, illi & insolenter & impudenter sua autoritate adversus simplex vulgus & tenuioris conditionis homines abutuntur. Inprimis autem secundum interrogatorium valde fuit imperiosum: *quem vos cæcum natum dicitis*, q. d. Vos quidem hoc affirmatis: sed quis vobis fidem habebit? Quomodo enim hæc duo juxta se consistere possunt, esse cæcum natum, & nunc videre? Hactenus alios decepistis, dum ex ipsius mendicatione, quæ ob simulatam cæcitatem ipsi concessa fuit, quæstum habuistis. Sed posteaquam nunc res ad nos delata est, cavete ne & nos fallere vellè in animum vestrum inducat. Hoc notandum, ut si quis fortè aliquando etiam ad ejusmodi sophisticos inquisitores vocaretur, non quaestionum multitudine se facilè turbari patiatur, non etiam ipsorum confidentia & minis terreatur. Sed DEUM ardentè invocet, qui ipsi Spiritus sui gratiam & animum mascule & appositè respondendi non denegabit.

Quid ergo cæci parentes? Ad singula interrogata distinctè respondent. Ad primum: *novimus, quod hic sit filius noster.* Ad secundum: *novimus etiam, quod cæcus natus est.* Ad tertium: *quomodo autem nunc videat, nescimus: aut quis ejus oculos aperuerit, nos nescimus.* In hoc tertio responso parentes cæci humani quid passi sunt, dum ex metu erga Phariseos Christo Jesu, DEI filio, debitum suum honorem non dederunt. Quomodo enim ipsi ignorare potuerunt, quod jam toti viciniae innotuerat? Et quali verò filius aliis retulisset, à quo & quomodo visum receperit, & parentes suos celasset? Magna ergo fuit ingratitude in Christum, cui ob hoc beneficium, filio exhibitum se suaque omnia debere, & nihil non in ipsius gloriam facere debere, agnoscere debuissent. Impii quoque sunt erga filium, dum suæ salutis quidem consulunt, filium autem profundius in periculum immergunt. *Ipsè atatem*, inquit, *habet, ipsum interrogato, ipse de se loquetur.* Cum alias nobis natura ingenitum sit, ut liberis in discrimine constitutis, propriæ vitæ periculo succurrere cupiamus. Quomodo denique à mendacii vanitate excusari parentes possint, non video: dum se id nescire dicunt, quod jam omnibus vicinis innotuerat. Hoc igitur exemplum humanæ infirmitatis intueamur, ut consimilia cavere discamus: & agnoscamus, homini Christiano nihil gloriosius esse ad omnem posteritatem, quam ingenua, intrepida & constans veritatis confessio, etiam in mediis periculis, ex quibus DEUS suos probè eripere potest.

Causam, ob quam parentes cæci illa tergiversatione usi sunt, Johannes ipse indicat: *Hæc dixerunt parentes ejus, quod timerent Judæos.* Jam enim conspiraverant Judæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum, è synagoga ejiceretur. Timuerunt ergo parentes cæci Excommunicationem, ut nos vocamus, seu solennem illam ex cætu Ecclesiæ exclusionem, quæ apud Judæos inde ab initio semper usitata fuit. Genes. 4. v. 14. ejicitur Cain post perpetratum fratricidium à conspectu Domini & Ecclesiæ fidelium. Postea sub Mose frequens

frequens admodum fuit, ut impuri abstinere à publicis cœtibus. Sicut Mirjam. Num. 12. v. 14. Quamquam hic legalis ἀφορισμός, seu separatio, typus potius fuit, quam vera excommunicatio. Postea vero, quando post reditum ex Babylone apud Judæos synagoga erecta fuerunt, & sub prophanis principibus, qui religionem non magni faciebant, major morum licentia oriebatur: ibi cordati & pii viri illam hac disciplina coercendam existimarunt, ut è synagoga ejicerentur, nec ad sacrorum communionem admitterentur, quicumque contra leges peccassent. Hac ratione præcavere voluerunt, ne religio & legis divinæ doctrina gentium ludibrio & calumniis exponeretur. Qui licet ergo ejiciebantur, dicebantur *ἀποστρεφόμενοι*, hoc est, alieni à cœtu publico fieri. Nam tales publica quasi infamia notabantur: à commercijs & civilium negotiorum usu excluderentur: nec amplius ex eorum numero censebantur, ad quos divini fœderis promissiones pertinerent: & pro talibus tantisper habebantur, donec cum synagoga reconciliarentur; & rursus susciperentur. Magnus certè & multiplex tum temporis hujus exclusionis fuit usus. Tandem autem, postquam sub Hircano secta apud Judæos irreplerunt, & sub Herode atque Romanis præsidibus veteris sacerdotij dignitas partim sublata, partim venalis facta erat, ibi isti, qui sacris præfuerunt, sub religionis prætextu res suas agere cœperunt, ac proinde etiam excommunicatione ad stabiliendam suam tyrannidem abuti sunt. Sicut hoc loco Pharisei & primores Judæorum *οὐκ ἐπὶ θεῷ conspiraverαν*, ut, si quis Jesum confiteretur esse Christum, è synagoga ejiceretur. Quid verò hoc aliud est, quam quod David in Psalm. 118. v. 22. prædixit: futurum ut preciosus angularis lapis ab ineptis istis ædificantijs reprobetur. Non autem frustra usus videtur Johannes verbo *οὐκ ἐπὶ θεῷ*, quod conspirare significat: ut doceat, qualia sint conciliabula, quæ contra Christum colliguntur: Invenitur hoc verbum 1. Samuel. 22. v. 13. ubi Rex Saul sacerdoti Achimelecho, sed per calumniam, objicit, quod cum Davide conspiraverit adversus regem. Ubi in Hebræo est verbum *אָוַר*, quod ligare, colligare, conjurare, atque sic animorum colligationem instituere significat: Ein Verbündnis machen. Sic Judæorum Pharisei conspirarunt, quod pro hæreticis & à communionem Ecclesiæ alienis habere velint omnes, qui Jesum faterentur esse Christum, hoc est, DEI unctum, & promissum humani generis servatorem.

Hæc fuit Excommunicatio Judæorum, quam licet Pharisei suo abusu, ut hic videmus, contaminarint: tamen Christus eam in suam Ecclesiam quoque assumpsit per clavem ligantem, ut videre est Matth. 16. v. 19. & 18. v. 17. & Joh. 20. v. 23. Ea etiam Apostoli usi sunt: ne quis putet hanc doctrinam mansisse solum in chartis & traditione: Petrus Actorum 5. v. 3. contra Ananiam & Sapphiram; Paulus 1. Corinth. 5. v. 5. contra incestuosum; item 1. Timoth. 1. v. 20. contra Hymenæum & Alexandrum, ut discant non blasphemare. Post Apostolorum tempora testatur Tertullianus in Apol. cap. 29. Cyprianus serm. 6. & historia Ecclesiastica passim, inter fideles sub impijs magistrati-

bus in usu fuisse excommunicationem. Hoc enim unico medio præfractiones, qui ob indulgentiam magistratum quidvis sibi in Ecclesia licere putabant, in officio continebantur, ne Evangelii doctrina exteris suspecta redderetur. Sic in concilijs damnati & excommunicati sunt Hæresiarchæ: qualis fuit Arrius, Nestorius, Eutyches, Samosatenus, Novatus, & cæteri. Semper enim Apostolorum exemplo excommunicationem adversus duos hosce hominum ordines direxerunt. 1. Adversus eos, qui falsa & erronea doctrina Ecclesiam turbabant, juxta illud Galat. 1. v. 9. Si quis vobis evangelizaverit præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Et ad Titum 1. v. 10. Hæreticum hominem post unam & alteram correptionem devota. 2. Adversus eos, qui manifestis criminibus & scelerata vita Ecclesiam scandalizabant. Juxta illud 1. Corinth. 5. v. 11. Scripsi vobis, non commisceri, si is, qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumere. Et Ephes. 5. v. 5. Hoc scitote, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, (qui est idololatra) non habet hereditatem in regno Christi & DEI. Et revera summe prodesset hanc partem disciplinæ Ecclesiasticæ in orthodoxis Ecclesijs retineri & strictè observari. Hac enim ratione multi pudore suffusi emenderentur, qui sibi ipsis derelicti pereunt: alii à contagione liberarentur, qui illorum conversatione inficiuntur: offendiculum etiam apud externos removeretur, ne nomen Domini malè audiret: pii denique sanctius vitam suam instituire anniterentur.

Verum quod inter Judæos accidit, ut impii Pharisei & Sacerdotes hoc fulmine adversus CHRISTUM ipsum uterentur, idem etiam inter Christianos factum est, ut Romani Pontifices excommunicationis fulmine hætenus abusi sint, partim adversus illos, qui ipsorum tyrannidem coercere conati sunt, partim adversus vera & viva Christi membra. Illi prius experti sunt multum præstantissimi Imperatores & Reges, Frederici, Henrici, Ottones, Ludovicus, & alii, sub quibus totum Christianum orbem varijs tumultibus & civilibus bellis Pontifices suis excommunicationibus repleverunt. Hoc posterius hodie experiuntur illi, qui synceriores Evangelii doctrinam sequuntur. Hosce omnes Pontifex Romanus quotannis solenniter in die cœnæ Dominicæ peculiari bulla excommunicare solet. Verum nos dudum ex DEI verbo didicimus, ne bruta ista fulmina timeamus. Ipsi quidem maledicunt, Dominus autem benedicit. Psalm. 109. v. 28. Domini enim est salus, & benedictio ejus est super populum ipsum. Pl. 3. vers. ult. Cum enim Christum caput nostrum agnoscamus, ab ipso suscipiemur, quando ab Antichristo excommunicati fuerimus. Sicuti infra vers. 35. exemplo cœci ipse id commonstrabit. Postquam enim Pharisei cœcum ejecerunt foras, Christus ipsum quæsit & suscepit. Nam & jus canonicum ipsum tradit, ejusmodi injustam excommunicationem pro nulla esse habendam. Sic sub Hieronymi sententia caus. 24. quæst. 3. dicitur: Si quis non recto judicio eorum, qui præfunt Ecclesiæ, depellatur & foras mittatur, si ipse

si ipse antea non exiit, hoc est, si non ita egit, ut mereretur exire, nihil laeditur in eo, quod non recto iudicio ab hostibus est expulsus. Et rursus c. 11. quaest. 3. Gelasius Papa citatur, qui inquit: Cui est illata sententia, deponat errorem, & vacua est. Sed si iniusta est, tanto eam curare non debet, quanto apud DEUM & ejus Ecclesiam neminem potest gravare sententia iniqua. Ita ergo ea se non absolvi desideret, qua se nullatenus perspici obligatum.

3. Postquam Pharisei etiam ex parentum caeci responso nihil elicere possunt, quod ipsorum instituto ad opprimendam gloriam Christi serviat, rursus pro imperio, quod obtinebant, vocaverunt hominem, qui fuerat caecus. Ea enim est humani ingenii natura & proprietas, ut in rebus malis nulli nec labori nec operæ parcat: at in rebus sanctis & bonis, proh dolor! nimium frigemus. Vocatum autem cæcum hac quasi præfatione aggrediuntur: *da gloriam Deo.* Fuit hæc apud Judæos obtestandi & quasi adjurandi formula, qua in elicienda veritatis confessione utebantur. Sicuti id patet ex actione Josuæ cum Achano. Jos. 7. v. 19. Pharisei itaque hoc dicere voluerunt: Cogita, te hic stare coram DEO & tremenda ejus majestate, qui DEUS acerrimus vindex est contra mendacium. Quapropter nihil eorum celes, nihil dissimules, quæ homo iste in tui sanatione egit. Ista nobis, qui DEO loco hic assumus, ingenue fateri & edisserere. Nos enim scimus, quod hic homo peccator est insignis & flagitiosus, cum quo DEUS nihil habet commercii. Proinde dubium non est, aut te alia ratione, quam per ipsum visum accepisse, aut si quid ipse in te sanando præstitit, certum est, Diaboli ministerio id ipsum perfecisse. Tu es homo simplex & idiota, qui facile decipi potes: nos verò, qui in lege sumus instituti, & de rebus omnibus rectius judicare possumus, scimus ipsum esse peccatorem. Hæc isti: Sed vos, o scelesti, unde hoc novistis, quod sit homo peccator? Nuper Johan. 8. v. 46. vos omnes provocavit & dixit: quis ex vobis arguet me de peccato? sed tum omnes siluistis. Cur peccata tum non enumerastis, ea que ipsi in os & faciem indicastis? Verum hæc est peccati malitia, hoc ipsius virus & venenum, quod & fidei & rationis lumen obnubilat, ipsamque hominum sapientiam tantum non in furorem & amentiam vertit. Hoc videmus in hisce Phariseis. Quam facile ipsis fuisset veritati indicatæ locum concedere & Christo gloriam hujus miraculi dare. Nunc cum veritatem obscurare & Christi gloriam opprimere nituntur, se ipsos subinde magis magisque tarpiter confundunt. Interim 1. prætextum studium gloriæ DEI, ad quam promovendam etiam hunc cæcum quasi juramento astringunt. 2. Prætextunt suam scientiam, eruditionem, dignitatem, quam insolenter cæci simplicitati opponunt. 3. Denique à convitiis non abstinēt, sed Christum audacter insigniter peccatorem esse pronunciant. Hæ enim sunt artes hostium veritatis, quas etiam Pontificii Antistites probè callent & exercent, si quando simpliciores Evangelici ipsorum examini sistuntur.

Sed audiamus etiam cæcum, qui inter tam densas magistrorum suorum tenebras adeo perspi-

cax & oculatus extitit, ut non modo sibi ipsi, sed illis etiam (si attendere voluissent) fidei & sapientia clarissimam faciem prætulisset. Est autem cæci responsum bimembre. Prior pars Christi personam, posterior pars ejus factum respicit. De persona dicit: *an peccator sit, nescio.* Hæc cæci modestia laude digna esse videtur. Animadvertit Phariseos insidiosè hoc agere, ut percontando aliquid eliciant, unde novam calumniandi occasionem habere possint. Cumque ipse de persona Jesu non sufficienter nec plene esset institutus, licet sciret omnes homines natura peccati reos esse: noluit tamen hic quicquam pronuciare. Dicit, *nescio.* Ut sensus sit: non est mearum partium, ut ego excutiam, utrum peccator is sit nec ne; sum longè simplicior, quam ut ego hæc in re certi quid definire possim. Hanc modestiam etiam alii imitentur, si quando assident, & audiunt in proximi honorem & famam liberius aliquantum inveli: hic non temere omnium dictis subscribant, sed de mortuis & absentibus nil nisi bona dicenda esse meminerint. Et quid in his se fecibus mundi magis usitatum est, quam quod etiam innocentissimorum hominum fama iniquis modis arroditur? De facto ipso ingenue & constanter respondet: Et quia ipsi suam scientiam de Christo peccatore allegant: ipse vicissim suam scientiam de hoc facto allegat, ipsorumque scientiæ opponit: *unum scio, quod, cæcus cum fuerim, nunc videam, q. d. quandoquidem de DEI gloria agitur, hoc nec dissimulare, nec negare debeo aut possum, quod cum ab utero matris cæcitatibus malum sim expertus, nunc hujus viri beneficio oculi mei visus facultate sunt instructi.* Hæc ingenuitas in confessione etiam nos decet, ut initio pristinam nostram conditionem, cum quoad animam, tum quoad corpus consideremus, & nos propter peccata æternæ damnationis obnoxios fuisse agnoscamus: Sed solius Christi beneficio ex illa miseria liberatos, ipsius sanguine redemptos, ejus sacramentis in DEI filio regenitos, Spiritus S. gratia illuminatos, de potestate tenebrarum ereptos, & in regnum dilectionis suæ translatos esse. Col. 1. v. 13.

Caterum quia livor & invidia nunquam quiescere possunt, ideo nec hæc dilucida & ingenua cæci responso Phariseis satisfacit: quin potius interrogando instant: *Quid fecit tibi, quomodo aperuit oculos tuos?* Sperant omnino ut toties interrogatus & turbatus, vel aliter quam antea respondeat, vel aliquid imprudenter dicat, quod ipsi ad magicas artes deroderent, & rem omnem inde suspectam reddere possint. Hoc enim est hostium veritatis & stratagemata, quod insidiosis questionibus rudiores aggredi solent, quibus eos circumvenire student, ut ipsos vel capiant, vel aliis deridendos propinent. Cæcus autem, qui hæcenus, quam diu res inquisitione indigebat summissè locutus, eorumque personam reveritus est. Nunc confidentior factus, cum videret eos tantum querere quod calumniari possent, stomachabundus adversus impudentem eorum malitiam respondit: *dixi vobis jam, nec audistis, hoc est, non credidistis ob cordis vestri duritiam: cur iterum vultis audire? Num & vos vultis ejus discipuli fieri?* Ironia hæc est, qua acriter eos pungit, inuendo, cum ipsi omnium doctores esse velint, an secum ad Christi

ad Christi subfella transire, ibique demum rectè de religione informari velint, cum toties ad eadem percontationes relabantur? Sic mendicus, qui hæc tenus vel ad templum vel ad portas sedendo omnem ætatem in colligenda stipe contriverat, ludibrio habet templi & sacrorum antistites, ob ineptas ipsorum interrogationes. Justo iudicio Dei hoc factum. Cum enim omnis religio ipsis ludus jocusque fuerit, digni fuerunt, qui vicissim aliorum ludibrio exponerentur. Idem hodie fit cum Pontifice Romano, & tota ipsius uncta & rasa cohorte. Terrori ante hac fuerunt universo orbi; sed nunc idioræ, cerdones, nautæ, mulierculæ, & pueri ipsos rident, ut sint fabula totius mundi. Male hoc habet ordinem Suiticum, qui Lutheranis prædicantibus hoc imputant, quod suis concionibus & scriptis sanctissimum patrem sic apud omnes exosum reddant. Nos dicimus iusto Dei iudicio id fieri. Cum enim Papa cum suis totum mundum per aliquot secula scelerate ludificavit, & non tantum vulgus hominum, verum etiam magnates & principes præ se pro fungis & stipitibus habuerint: quid mirum, quod nunc post exortam lucem Evangelii, & postquam mundus ipsius turpitudinem, fraudes atque imposturas agnovit, par pari cordati viri ipsi referre student? Sic enim cœlestis vox Apoc. 18. v. 6. dixit: Reddite illi sicut & ipse reddidit vobis: & duplicate duplicia secundum opera ejus: in poculo quo miscuit, miscete ipsi duplum. Quantum glorificavit se & in deliciis fuit: tantum date illi tormentum & luctum.

Pharisæi offensi hac mordaci libertate cœci, ex magna animi superbia & odio nominis Jesu, ei convitiati sunt, ἐξιδιόρησαν αὐτόν. Septuaginta interpretes hoc verbo usi sunt, quando in Mose describitur iurgium Israelitarum contra Moysen & Aaronem, quod à seditione non procul fuit alienum, ut videre est Exod. 17. v. 2. Num. 20. v. 3. & Deuter. 33. v. 8. Ubi est Hebræa radix מרי sive מרי quæ significat mutuis verbis litigare, rixari, & cum convitio aliquem rejicere. Quomodo vero convitiati sunt? Tu ipse discipulus esto. Probrum habent Jesu discipulum esse, siquidem tales à lege Moysi apostasiam facerent, & quidem cæco talem Magistrum convenire iudicant, siquidem mendicum mendicus, erroneum erro sequatur. Hoc est convitium sive maledictum Pharisæicum. Sed rectè de eo Augustinus inquit: sit maledictum hoc super nos & super filios nostros. Nos autem Moysi discipuli sumus. Constantiam suam in lege Moysi prædicant, cum tamen certum sit, si Moysi credidissent, Jesum etiam audituros fuisse, sicut Christus Johan. 5. v. 46. ipsis objecit. Neque enim Moyses & Christus sunt contrarii (ut Judæi sibi imaginati sunt) sed sunt subalterni, ut fidelis servus & magnus Dominus. De Christo enim, tanquam suo Domino Moyses scripsit & testificatus est. Rationem quoque addunt, sed insipientiæ & contradictionis plenissimam, quare nolint Jesu discipuli esse; sed Moysi. Nos scimus quod Moysi locutus sit Deus. Hunc autem nescimus, unde sit. Unde vero, o Pharisæi, tam exactam habetis huius rei notitiam, quod Deus Moysi locutus sit? Nonne ex relatione majorum vestrorum, & quod audivistis ipsum verba, quæ à Deo accepisset, stupen-

dis miraculis confirmasse. At quoties coram manifeste audivistis Jesum divina docentem? quoties coram stupenda ipsius miracula audivistis? Et tamen dicere audetis: hunc nescimus unde sit. Et si omnino nescitis unde sit, quare tam audacter hæc tenus aliquoties pronunciare ausi fuistis, ipsum non esse ex Deo, sed diabolico spiritu præditum. Item, quare Joh. 7. v. 27. plane contrarium dixistis: hunc scimus unde sit: Christus autem cum venerit, nemo sciet unde sit. Sic insipienter sibi ipsis contradicunt, qui Christo veritatis magistro sese opponunt. Eadem fabula adhuc hodie luditur in mundo à Pontificiis. Hi probrum loco habent, nobisque eo nomine convitiantur, quod Evangelici dici volumus, propterea quia Christi Evangelium, non autem Papales traditiones audimus & admittimus. Obijciunt, nos à Catholica Ecclesia defecisse: Clamitant, Pontificii ordinariam habent successionem, & unde illi sint, scimus: nimirum à Christo; qui Petrum Apostolum fecit, & huic successores dedit Pontifices Romanos: Unde autem Lutherani prædicantes sint, hoc nescimus. Sed hisce clamoribus, jurgis & convitiis multiplicem suam insipientiam produunt. Si enim à Catholica Ecclesia recedere nolunt, cur non solius Christi vocem audiunt, quæ nota est veræ Ecclesiæ. Cur tot novas sanctiones ab hominibus confictas Evangelio Christi adjecerunt? Si in Majorum fide constanter perseverare volunt, cur non in articulis symboli Apostolici simpliciter acquiescunt? Cur tam multa & varia, imo contraria ipsis admiscunt? Verum mittamus istos & Christo Jesu constanter adhareamus.

Vidimus ergo hæc tenus ignorantiam in humana sapientia: videamus nunc etiam sapientiam in ignorantia, & virtutem in infirmitate: ut agnoscamus verissime à Propheta dictum esse: Psalm. 8. v. 3. Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum & ultorem. Mendico enim homini & oculis capto, cui mendicitas timiditatem, cœcitas autem ignorantiam afferre debuissent, inter disputandum (ut fieri solet) sic crescit fiducia, ut veritatis conscientia & Dei gratia confirmatus, fortiter, contentis omnibus periculis, ausus sit Christi causam agere apud priores Judæorum, quos animadvertibat omnibus technis perniciem Jesu moliri. Cum enim Pharisæi se, unde Jesus esset, nescire dixissent: ille contra: in hoc enim mirabile quiddam est, quod vos nescitis, unde sit, & tamen aperuit meos oculos. Illud, Vos, emphaticum est, quasi dicat: Mirum sane vos, qui omnia soli novisse vultis, & de notitia inde à Mose accepta gloriamini, tanto tamen stupore & ignorantia laborare, ut ex hoc opere, quod solius divinæ potestatis est, non tamen velitis Dei potentiam & præsentiam agnoscere, venerari & obstupefcere. Progreditur cæcus, & argumento comprobatur Jesu vocationem omnino esse ex Deo. Scimus autem quod peccatores Deus non audit: sed si quis Dei cultor est & voluntati ipsius obtemperat, hunc audit. A seculo non est auditum, quod quis aperuit oculos cæci nati. Nisi esset hic à Deo, non potuisset facere quicquam. Syllogismus per se planus & integer est. Scimus Deum peccatores non audire. At



hunc audivit. Ergo non est peccator, sed est à Deo. Minorem probat ex admirabili opere, quod Deus per ipsum edidit.

Examinemus singulas propositiones. Major. *Scimus, quod peccatores Deus non audit.* Hanc desumfit ex communi omnium iudicio & approbatione. David Psalm. 109. v. 7. de impio: oratio ejus fiat peccatum. Salomon Proverb. 28. v. 9. qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis. Et Jes. 1. vers. 15. Deus ipse impiis dicit: cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam, quia manus vestrae sanguine plena sunt. Sed sciendum hanc propositionem tantum accipiendam esse de peccatoribus in peccatis perseverantibus, in quibus regnat peccatum, & qui prophani projecti sunt ad omnem nequitiam. Ibi certum est, preces ex prophano corde profectas non penetrare cœlos, neque in Dei aures se infinuare. *Sed si quis Dei cultor est, & voluntati ipsius obtemperat, hunc audit.* Sub Dei cultu comprehendit ejus cognitionem, timorem & fidem, sine quibus Dei cultus constare non potest. Sub voluntate Dei, poenitentiam & novam obedientiam complectitur. Horum qui studiosus est, ejus preces à Deo exaudiuntur. Juxta illud: Psalm. 34. vers. 16. Oculi Domini super justos: & aures ejus in preces eorum.

Minorem comprobatur insigni illo miraculo, quod comparatione omnium temporum & operum inde à condito mundo editorum amplificat. *A seculo non est auditum, quod quis aperuit oculos cæci nati.* q. d. Multa quidem memorantur miracula, quæ Deus olim per Prophetas viros sanctos edidit: si tamen omnia ab orbe condito repetatis, non reperietis, quenquam extitisse, qui cæco nato oculos aperuerit, & visum, quem non habuit, imo quem natura negavit, præbuerit. Tales enim oculos solus ille reddere potest, qui primum formare potest. Magnum hoc est præconium cæci de hoc Christi opere, cui Pharisei nihil opponere sciverunt. Legimus quidem in Apocryphis Tob. 11. vers. 15. Tobiam seniore post cæcitatem visum recuperasse: Sed idem non erat cæcus natus. Et certum est, Deum peculiariter quædam opera filio suo in carne manifestando reservasse, per quæ mundo innotesceret. Sic nimirum pii ad ejus cognitionem excitabantur; contemptoribus autem omnis excusatio præripiebatur. Conclusio additur: *nisi esset hic à Deo, non potuisset facere quicquam*, eorum scilicet quæ facit: cum nec sua virtute nec divina (à qua alienus esset) facere posset. Aut: non posset facere quodcunque miraculum, nedum hoc antea inauditum opus. In hac tota actione cæci in personam Christi hoc peculiariter est attendendum, quod is beneficio perceptæ temporalis lucis, tantum in fide profecit, ut toto Judæorum fenatu reclamante & se execrante, ipse tamen in veritate semel percepta adeo constanter perfleret, ut quodcunque corde credidit, idem etiam ore confessus sit. Quanto magis ergo nos decet, qui spirituali luce verbi sui sumus illuminati, constanter Christum Salvatorem nostrum adversus Pontificiorum conciliabulorum criminationes & anathematizationes qualem credimus, talem etiam in mundi conspectu sine ulla trepidatione

profiteri? Christus enim dicit: Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.

Denique Pharisei mendici fiducia & dicendi libertate plane efferati, cum vident ipsum à prædicando Jesu nequaquam abduci posse, ad extrema veniunt, ad quæ convicta impietas descendere solet, ad opprobria nimirum & ad apertam vim. 1. Exprobrant ipsi pristinam cœcitatem & fortunam tenuitatem, quasi hæc ipsi ob scelera divinitus sint immissa: *in peccatis tu natus es totus*, ac proinde indignus es, cum quo nos multum disputemus vel contendamus. Erant enim Pharisei in illa opinione, tantum illos in peccato conceptos & natos esse, quos natura insigniter norasset, cumque hic à nativitate cæcus esset, statuerunt, ipsum *totum* corpore & anima peccato infectum esse. *Et tu*, inquit, homo vilis, indoctus, & totus sceleratus, *doces nos*, qui legis professionem & omnis religionis apicem tenemus, à quibus non ita pridem stipem emendicabas? Videmus quid faciat animi impotentia apud eos, qui semel veritati sese opponere cœperunt. Nemini naturæ vitia temere exprobranda esse, omnes sapientes norunt. Cum enim ex eodem luto omnes formemur, & in peccatis omnes concipiamur & nascamur, quod cuiquam accidit, idem cuius accidere posset, si benignissimus Deus manum suam subtraheret. Hanc itaque animi virulentiam, quam in hisce Phariseis videmus, nequaquam imitemur.

Sed his non contenti, 2. convitio addunt vim. Male enim ipsos habebat os sibi ab homine illiterato & paupere obstructum esse. Quapropter *ejicerunt eum foras*. Quod aliqui tantum de illo ipsorum conventu intelligunt: alii vero de synagoga, quod ipsum *δοξασαράγαν* fecerint, sicuti v. 22. audivimus, hoc iam ante à Phariseis sic decretum fuisse. Nec dubium, quin usitatis ceremoniis & publice id fecerint: siquidem fama hujus exclusionis ad ipsum Christum pervenit, qui eum postea quasi vicit & suscepit: Voluerunt enim Pharisei exemplum in hoc publicum statuere, ut reliquos à doctrina fide & religione Jesu tanto plus detererent. Ex parte Phariseorum discimus, quibus artibus & armis hostes Christi pugnare soleant, convitiis & manifesta vi. Ad ista itaque sese præparent, quicunque Evangelii doctrinam fide non ficta sequi volunt. Impossibile enim est, ut mundus non possit odisse eos, qui doctrinam & opera ejus mala esse testantur. Joh. 7. v. 7. Ex parte cæci videmus, quales Christus gloriæ suæ & sui nominis patronos eligere soleat adversus potentissimos & verulentissimos nominis sui hostes & calumniatores. Unicum mendicum & indoctum hominem opponit toti Phariseorum concilio, eique loquenti iniqua & perversa os obrutat. Hinc Paulus 1. Cor. 1. v. 26. Videte vocationem vestram, fratres, inquit, non multi sapientes, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta, infirma, & ignobilia mundi sunt, elegit Dominus.

V. Inter reliqua memorabilis hujus historiae membra hoc non postremum est, quod Deus ejectum à Phariseis cæcum quærens suscipit, atque ad perfectiorem sui cognitionem adducit. Sicque divinam suam bonitatem cum justitia conjunctam

clam manifeste ostendit, quæ inflatos atque scientiæ persuasione turgidos Phariseos in horrenda errorum caligine derelinquens, sapientia divinæ suæ opes in miserum hunc mendicum, qui propter nominis sui confessionem convitia passus est, effundit. Ut verum esse videamus illud Salomonis. Proverb. 3. v. 32. abominatio est Domino omnis illusor, & cum simplicibus sermocinatio ejus. Dicit autem Evangelista: *audivit Jesus quod eiecissent eum foras.* Quomodo audivit, cum ipse DEUS & homo ubique præsens & omnia inspiciat & intueatur neque aliorum relatione indigeat? Innuitur hac phrasi, non clam mansisse, sed in populo vulgatum esse, quicquid Pharisei cum cæco gesserant. Fama itaque que corrente, pervenit etiam ad Christum ejusque discipulos. Christus ergo eum quærit. Nam *invenisse eum dicitur.* Invenimus autem ea, quæ quærimus. Atque sic sensim Christus struit viam ad concionem illam, quam sequenti capite de se, tanquam Pastore bono, habiturus est. Nam boni pastoris officium, qui, quod perierat, quærit, in hoc cæco jam exercet. Ejecerant ipsum & gregis Evangelici consortio servi mercenarii: qui tamen omnem sibi in Ecclesia potestatem vendicabant. Sed venit fidelis pastor, & miseram hanc oviculam excommunicationis telo fauciam, vagantem & palantem quærit, invenit, & ad sui gregis societatem colligit. Quem ergo malignantium synagoga rejecit: eum Filius DEI veræ Electorum Ecclesiæ membrum fecit. Ex his cognoscamus fidem & benignitatem Domini nostri erga nos, qui propter ipsum afflicti & ab hominibus proculcati sunt, ipse nunquam non videt & audit, quid sui patiantur, & simul considerat, quid facto opus sit, ne in tentationibus succumbant. Persecutiones itaque impiorum ne nimium extimescamus, per quas plerunque ad maxima DEI dona & beneficia aditus aperitur. Si enim David Dominum juxta esse affirmat iis, qui sunt tribulato corde Psalm. 34. v. 19. Et ipse Dominus in Psalm. 91. v. 15. cum ipso sum in tribulatione, quæcunque illa sit, & undecunque orta: quam præsens illis aderit, qui ob ejus fidem & confessionem ad impiis vexantur, & variis injuriis afficiuntur? Exempla ejus habemus satis illustra in sacris literis. Act. 16. v. 23. Paulus & Silas ob nominis Jesu prædicationem flagellis cæsi & in carcerem missi sunt: sed in ipsa nocte, portæ carceris aperiuntur & vincula ligatorum solvuntur. Ipsi verò DEI laudes alacriter concinunt. Jerem. 33. v. 1. Propheta carceri mancipatur, sed Dominus ibidem ipsi clauso dicit: clama ad me, & exaudiam te, & annuntiabo tibi grandia & firma quæ nescis. Daniel. 3. v. 47. mittuntur tres focii Danielis in fornacem Babylo-nicam, sed angelus Domini descendit ad ipsos in ignem, solutis vinculis flammæ repellit, & cum ipsis laudes Domino decantat. Sic Dominus semper eos visitat & consolatur, qui pro nominis ipsius confessione & veritate amoris variis premuntur ærumnis.

Audiamus etiam quid Dominus cum invento egerit. Vult eum in fide insituere, ne Phariseorum fraudibus circumventus, aut metu majoris periculi terribus ad ipsos aliquando redeat. Proponit ergo ipsi hanc quæstionem: *Tunc credis*

Harm. Tom. I.

*in filium Dei?* In Græco adjecti sunt articuli *εις τον υιον & Θεου*, ut intelligamus hunc propria & peculiari ratione DEI filium dici, non communi illa, qua etiam nos adoptivi Dei filii dicimur. Sicuti hac de re cap. 1. Johannis plenius dictum est. Proponit autem hanc quæstionem primum, quia fides in Christum filium DEI est principium omnis gratiæ & salutis. Qua de re Paulus Rom. 5. v. 2. Per fidem habemus accessum ad gratiam, in qua & stamus & gloriamur. Porro non quærit: *Credis in Messiam?* Sed *credis in filium Dei?* ut innuat, non sufficere illam fidem in Messiam, qualis tum vulgo inveniebatur, qui ipsum tantum Davidis filium futurum existimabant, sed necesse esse, ut ipsum DEI filium esse agnoscamus. Sicut etiam fecit Nathanael Joh. 1. v. 49. & Petrus Matth. 16. v. 16. Neque enim fides nostra securè acquiescere potest, donec in Christo Jesu penetret ad ipsam usque Deitatem *σωματικώς* in ipso habitantem. Coloss. 2. v. 9. Cum enim per peccata nostra summi Dei ira sit accensa, non potest illa extingui, nisi sanguine ejus qui ipse quoque est DEUS. Ut sic Ecclesia sit sanguine Dei acquisita. Act. 20. v. 28. Quando ergo fides nostra remissionem peccatorum in sanguine filii Dei apprehendit, tum demum acquiescit in securitate sua.

Cæterum ad interrogatum Christi cæcus respondet: *Et quis est, DOMINE, ut credam in eum?* Laude dignum facit, quod non temere credit, sed primum notitiam quærit. Hæc enim in fide sunt conjuncta: notitia, assensus, fiducia, applicatio. Necessario ergo mentis lux præcedit apprehensionem cordis, & fides procedit ex cognitione. Qui enim fiduciam collocabo, aut ad me ipsum applicabo, quod non prius cognitum habeo? Turpiter igitur homines fallunt & decipiunt, qui multum de implicita fide Ecclesiæ garrunt, & hominibus persuadent, ipsos tutissime credere, si profiteantur, se idem credere, quod Ecclesia Catholica credit, licet ipsi ignorent, quid Catholica Ecclesia credat. Hanc vocant fidem carbonariam: siquidem carbonarius quidam hac fidei confessione aliquando satanam fugavit. Et in hoc consistit primarius nervus regni Papistici, quod suis hominibus persuadent, hanc esse summam pietatem, si simpliciter credant omnia, quæ ab Antistitibus Ecclesiæ ipsis proponuntur. Ubi per simplicem fidem intelligunt stolidam crudelitatem, & asininum quasi stuporem, quo cæci cæcos sequuntur, usque dum ambo in foveam incidant. Talem stuporem Christus non probat, qui nos ipsos scripturas scrutari, & spiritus probare vult, utrum sint ex DEO. Christus non statim aperit cæco, quis sit ille DEI filius, sed prius eum admonet negligentiam, quod eum viderit, & tamen non cognoscat. *Et vidisti eum.* Quomodo eum vidit, cum oculis corporeis eum nunquam sit intuitus? Discesserat enim jam JESUS, antequam cæcus à piscina Siloam rediisset. Ergo Christus de alio intuitu hoc intelligit, nimirum spiritali, quo in cæci persona effulsit divina Jesu Christi potentia & misericordia. Hanc bonitatem Christi si in nobis quoque consideremus, revera dicere possumus nos vidisse filium DEI. Sicuti Jacobus Patriarcha gloriatur, se vidisse Dominum

minum de facie ad faciem, & salvam factam esse animam suam. Gen. 32. v. 30. Tantum excutiamus illam animi negligentiam, qua non minus laboramus, quam cæcus. Sed addit Dominus: *Et qui loquitur tecum, ipse est.* Non dicit categoricè: Ego sum filius Dei. Sed, *qui tecum loquitur*: Ipse enim *λογος nobis loquens*, æternus est DEI filius, & idem per sermonem prolatum vult nobis instillare fidem: Ideò filius Dei, non quando se nobis conspiciendum offert, sed quando per verbum Evangelii nobiscum loquitur, gratiam, misericordiam & salutem nobis offert, sicque se nobis cognoscendum præbet. Cæcus hæc audiens non minus jam animo, quam prius corpore illuminatus, protinus dicit: *Credo DOMINE.* Et quia vera fides, non est frigida assensio, sed tam fervida mentis affectio, quæ totum cor & reliquas hominis vires omnes in cultum ejus rapit, in quem quis credit: ideò absque mora procidit, *Et adoravit eum.* Cultu adorationis veneratur Jesum, quem filium Dei esse jam credebatur, licet nullo externo splendore commendaretur: idque facit in præsentia Pharisæorum, qui Jesu aderant, & quorum furorem paulo ante expertus fuerat.

Locus hic ad probandam divinitatem JESU Christi probè notandus est. Neque enim ferè illustrior in toto Evangelico codice extat. Siquidem in eo Christus plerunque alias se tantum hominis filium vocat. Hic verò satis disertè affirmat, se esse filium DEI, & quidem illum *ἴσθ' ὅτι*, verum & æternum, non adoptivum, quales sunt electi. Requirit quoque de cæco, *ut in hunc filium Dei credat.* At verò qui in creaturam aliquam credit, & fiduciam in eam ponit, ex ipso DEI ore maledictus est: Jer. 17. v. 5. Nisi ergo Christum Jesum impii quid hunc cæcum jussisse dicere velimus, valeant Arianorum blasphemie, qui ipsum verum DEUM esse negant. Insuper admittit à cæco adorationem. *Qui cultus quoque uni & soli vero Deo debetur.* Deut. 6. v. 13. & Matth. 4. v. 10. Adorat autem in una persona DEUM & hominem contra divulsionem Nestorianam. In una siquidem persona Jesu Christi divina & humana natura personaliter sunt unitæ: ut ita cæcus filium Dei in visibili

suo corpore adstantem, & secum loquentem, atque sic *ὁ ἀμφοτέρων* una adoratione adoravit.

Insuper ordo salutis nostræ, quam per Christum consequimur, nobis quoque in hujus cæci exemplo ob oculos statuitur, qui hic est. 1. Ut à consortio impiorum, & imprimis Antichristi, non minus segregemur, quam hic cæcus à cætu Pharisæorum. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? & quæ conventio Christi cum Belial? &c. 2. Cor. 6. v. 14. 2. Fidem omnem in Jesum Christum Dei filium convertamus; hunc unicum Mediatorem inter Deum & nos profiteamur, qui pacem evangelizavit & illis qui propè erant, & nobis, qui longè fuimus. Eph. 2. v. 17. per hunc fidem reconciliati sumus cum Patre.

3. Fidem etiam nostram publicè, nihil pericula attendentes, confiteamur. Corde enim creditur ad justitiam: ore autem fit confessio ad salutem. Rom. 10. v. 8. Et necesse est, ut nostro exemplo proximum etiam ad consimilem confessionem nominis Christi alliciamus.

4. Denique Christo cultum adorationis & venerationis præstemus. Gens enim & regnum, quod non servierit Christo, peribit. Jes. 60. v. 12. Et effundit Deus indignationem suam super regna & provincias, quæ non cognoscunt eum, nec nomen ipsius invocant. Ps. 79. v. 6. & Jer. 10. v. 25.

Videmus denique quantum proffit, si pii per excommunicationem ab impiorum concubernio segregentur, vel illi sponte sua hosce deserant. Cæcus hic nunquam ad tam perfectam Christi cognitionem pervenisset, si in communione Pontificum & Scribarum mansisset. Postquam verò ab illis excommunicatus est, Christus eum quasi vixit, in fide instituit, & ad plenam sui cognitionem adduxit. Idem Luthero nostro accidit. In initio tantum pauculos quosdam, eosdemque crassiores Papatu errores reprehendit, & subinde se obedientiæ Pontificis & Episcoporum submisit, si modo crassiora ille corrigerentur. Verum postquam nihil obtinuit, insuper etiam à Papa excommunicatus esset, mirum, quantum postea in cognitione mysteriorum Christianæ religionis profecerit.

## CAPUT CXIV.

CONTINENS CONCIONEM CHRISTI, QVA  
PROBAT AD SE PERTINERE JUDICIUM COGNOSCENDI, QUI  
NAM SINT RECIPIENDI IN ECCLESIAM, ET QUI EXCLUDENDI.  
JOHAN. 9. VERS. 39. ET JOHAN. 10. vers. 1.

### RATIO ORDINIS.



Hæc cum superioribus continuo nexu coherere, res ipsa & argumentum causæ commonstrant. Etenim Christus ex illa censura & jurisdictione, quam Pharisæi in excommunicando cæco exer-

cuerunt, occasionem sumit & affirmat, ad se pertinere *judicium* illud, sive jurisdictionem, quod quidam in Ecclesiam, sive regnum cælorum recipiuntur, quidam verò excluduntur. Et addit, se *judicium* illud mirabiliter exercere: ita ut *cæci videant*, qui